

Matæologia
HÆRETICORVM

SIVE

SVMMA HÆRETICARVM FABVLARVM.

IN QVA BREVI QVODAM veluti COMPENDIO *continentur nongenti ferè vanißimi errores, de ducentis propè religionis Catholicæ capitibus. Quibus homines quidam reprobi, purum Dei verbum plerunq; corrumpere, Ecclesiæ verò vnitatem proscindere, ac fidei Christianæ integritatem violare ausi sunt. Vnde apparet etiam illa admodum horrenda.*

BABYLONIA

SIVE CONFVSIO HÆRESVM, quæ à Christo nato in hunc vsq; diem exortæ: nunc verò in Locos communes, per quasdam veluti CLASSES sic digestæ, ac distributæ sunt, vt primo statim intuitu constet, quæ, à quibus, & quo tempore, de quouis Articulo controuerso, vel assertæ fuerint, vel damnatę.

PER


D. GEORGIVM EDERVM.


PSAL. XXXIX.

Beatus vir, qui non respexit in vanitates, & insanias falsas.

Ingolstadij, Apud Dauidem Sartorium.

Anno M. D. LXXXI.





De furiosa perfidia hæreticorum.

AD FALSOS FRATRES, QVI NOMINE QVIDEM Catholici & esse & haberi volunt, sed re ipsa cum pessimis quibusq; sectis communicant.

HÆRETICOS NIHIL VNQVAM MODERATE, SED omnia ferè, aut peruersè, aut stultè, pleraq; etiam furiosè agere, ac ob id tanquam iudicio proprio condemnatos perfecto odio dignos esse. Psal. 138.



VM sancta Romana & Apostolica Ecclesia, tam inde ab initio vsque hostes neque grauiores habuerit, neque acerbiores quàm hæreticos, quos, ob id diuino spiritu afflati Apostoli, cane peius & angue fugiendos esse monuerunt; tum ab illis maximè nobis est cauendum, qui sapientia quadam imbuti humana, inter veterem illam maiorum fidem, & hanc nouam priuatarum opinionum confusio-

Heretici hostes Ecclesię Dei.



Mediatores cauendi.

fusionem, quæ hac tempestate in ipsam Dei Ecclesiam irrepsit, mediam quandam credendi rationem instituere conantur: ac si fides Christiana nihil sit aliud, quàm aut coturnus aliquis ambidexter, aut lesbya quædam regula, quæ ad cuiusque libitum nunc in hanc, nunc in aliam partem flecti posit; & non qua religio ducit, sed qua nos ipsi velimus, sequi oporteat.

QVO *in loco procul dubio habendi sunt illi, qui verbis quidem nobiscum Catholicam profitentur fidem, sed animo ac voluntate, cum sceleratorum hominum sectis colludunt, & à nobis non tantum moribus, sed etiam doctrina & pietate sunt alieni. Dum enim in eo positi sunt toti, vt inter duas religiones ex diametro pugnantes, aliquam constituant Concordiæ formulam, facilè intelligunt, se id commodè præstare non posse, nisi ab vtraque parte mutuent aliqua dogmata, quæ cuiusque studio satisfacere videantur, siue illa sint vera siue falsa: ex quibus, cùm propter miram eorum varietatem & inconstantiam, nil nisi monstrum generari queat; fit sanè, vt in*

Mediatores cum hereticis colludũt.

Mediatores in quę absurda incidát.

in quibusdam articulis, à recta fidei regula ,,
discedant, in multis cum hæreticis conueni- ,,
ant, in plerisque omnino dubij sint & incer- ,,
ti, ac in omnibus denique aliquid, in toto ve- ,,
ro aut nulli sint, aut neutrales. ,,

Horum vęsanam impietatem iure admodum reprehendit D. Paulus in secunda ad Corinthios Epistola, dum prohibet, ne iugum ducant cum infidelibus, néue immundum aliquid tangant. Quæ enim participatio, inquit, iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas lucis ad tenebras? Quæ autem conuentio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli, cum infideli? quis autem consensus templo Dei, cum idolis? Quid verò nos aliud hæreses? nonne rectissimè cum sanctis Patribus idola, & hæreticos idololatras dicere poterimus? Cùm, vt D. Clemens ait, hæretici magis impij sint, quàm Iudæi, & magis sine Deo quàm gentiles, vtpote qui summum Deum vniuersi præsidem blasphemiis insectantur, & filium eius conculcant, ac in doctrinam Spiritus sancti despuunt; qui sermones Dei negant, aut approbare se simulant in contu-

2. Cor. 6.

Clemens de constitutionibus Apostolicis.

meliam Dei, & ad decipiendum eos, qui ipsos adeunt; quique scripturis sanctis contumeliam inferunt, & quidnam sit iustitia ignorant.

Vnde Apostolus quidem Paulus mundanam sapientiam illam qua diuina humanis miscere solent homines curiosi, stultitiam af-
1.Cor.3 *firmat esse apud Deum; qui nouit eorum co-*
Iob.5. *gitationes esse vanas, & sapientes comprehendens in astutia sua, minatur illis perdi-*
Isai.19. *tionem. Perdam, inquit, sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Beatus verò Apostolus & Euangelista Ioannes eiusmodi inconstantiam in Ecclesia Laodicensi non tantum reprobat, sed etiam*
Apocal.3. *anathemate percutit. Scio, inquit, opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus; vtinam frigidus esses, aut calidus: sed quia tepidus es, nec frigidus, nec calidus, ex ore incipiam te euomere. Atque hæc licet ita se omnino habeant, egregiè tamen sibi placent mediatores isti perbelli, ac se potissimùm eam artem atque rationem tandem reperisse gloriantur, qua omnes omnium Doctorum*

ſententiæ, quantumuis diuerſæ, facillimè, ſi dijs placet, componi queant atque moderari.

Vt verò hanc rationem aliis etiam tanto facilius perſuadeant, rem vniuerſam hoc vno veluti principio complexi ſunt. Omnes homines, qui Symbolum Apoſtolorum recipiunt, deque Chriſto capite rectè credunt, & Eccleſiam Chriſti vbi ea cumque ſit, diligunt, nec ſe in cæteris, quæ ad fidei ſubſtantiam non pertinent, ſectariis, eorumque doctrinis diuerſum ſentientibus hoſtes præbeant, veros nihilominus Chriſtianos, atque adeo Catholicæ Chriſti Eccleſiæ membra dici poſſe ac debere. Verum vt hæc opinio per omnia falſa eſt, ac monſtroſa; ita tot in ſe habet errores, quot verba; tot abſurda, quot ſyllabas; tot monſtra, quot ſententias; vt illis nouatoribus, ne dicam nugatoribus meritò dici poſſit; ſtulti, dũ vitant vicia, in contraria currunt: quamuis id etiam parum videri debeat, eam ſectam dicere ſtultam, quæ ſe nec ab hæreſi quidem eſſe liberam aſſerere poteſt. Neque enim ea ratio, quam illi pacis conſti-

Falſum Mediatorum Principiũ.

Ioan Heſſel de officio pij viri, ca. 4.

tuendæ regulam statuere conantur, hoc nomine digna, sed opinio potius ficta & falsa, quàm certa rectáque fidei norma dici meretur.

Eius principij siue regulæ falsæ confutatio.

Principiò enim opinatio ista non continet in se omnia, quæ homini Christiano sunt credenda, cùm præter hæc, quæ illi sufficere putant, hoc tempore, infinita propemodum alia doctrinæ Christianæ capita ab hæreticis in controuersiam rapiantur, quæ ad fidei rationem pertinent, nec tamen in Symbolo sunt expressa; cuiusmodi, exempli gratia, sunt illa,

Articuli controuersi.

„ *quæ hodie de peccato originali, de libero ar-*
„ *bitrio, de iustificatione, de lege & gratia, de*
„ *fide & operibus, eorumq; meritis, de Sacra-*
„ *mentorum numero & efficacia, de sacrificio*
„ *Missæ, de præsentia & veritate corporis, &*
„ *sanguinis Christi in Eucharistia, & aliis id generis pluribus, de quibus, si quis ab Ecclesiæ Catholicæ traditione, aut communi Patrum sententia diuersum credit, in hæresim labatur necesse erit, nec etiam, quàm diu in errore sciens prudensq; persistit, saluus fore existimari debet.*

DEINDE *hoc se pallio etiam manifestissimi quiq; hæretici tegere posse videntur. Quotus enim quisq; nouatorum hoc tempore adeò vel impius est, aut blasphemus, qui non dicat se de Christo capite rectè sentire, qui tamen in plurimis Articulis à doctrina Christi quàm longissimè absit, De quibus rectè Augustinus: Videmus, inquit, multas hæreses confiteri, Christum in carne venisse, & tamen eas non possumus dicere, esse ex Deo: sed dicendum est eis; Verbis quidem confitemini Christum in carne venisse, factis autem negatis, sicut è regione grauissimus hic Author, & Ecclesiæ Doctor incomparabilis, non illos tantum reiicit, qui falsa de Deo credunt, sed etiam qui de quauis parte doctrinæ, non rectè sentiunt, tanquam hæreticas foris esse ait, quantumuis corpore intus esse videantur.*

Augustinus tractat. 6 in epist. Ioan.

Idem de quæst. Euāgel. ex Matt. q 11.

QVA *ratione præterea illud etiam cadit, quod satis benè actum esse putant, si quis Ecclesiam, vbi eacunqúe sit, diligat, etiamsi non per omnia cum ea conueniat. Nam quo pacto Ecclesiam quæso diligit is, qui eam vel*

 igno-

ignorat, vel vbi sit, dubitat, vel deniq; qui cum ea non communicat? Quod tamen Augustinus ad veram Fidei rationem statuit omnino esse necessarium. Quicunque, inquit, de ipso capite Scripturis sanctis consentiunt, & vnitati Ecclesiæ non communicant, non sunt in Ecclesia: quia de corpore, quod est Ecclesia, ab ipsius Christi testificatione dissentiunt. Sic & Christus dispergere dicit eos, qui non secum colligunt: & Origenes illam solam veritatem credendam esse docet, quæ in nullo ab Ecclesiastica traditione discordat.

August. cōtra epist. Petiliani de vnitate Ecclesiæ ca. 4.

Matt. 12.

Origen. lib. 1. periarch.

ADHÆC *omni caret ratione, quòd pacificatores isti se neque hæreticis, neq; falsis eorum opinionibus hostes præbere, ac nihilominus tamen Christi fideles esse, & Ecclesiæ membra dici velint; cùm Scriptura diuina fideles esse neget, qui cum hæreticis iugum ducunt; & Ecclesiæ membra esse non possint, qui ab Ecclesiæ sententia discedunt. Nam vt antiquissimi Patris Cypriani verbis vtar: Quisquis ab Ecclesia segregatus adulteræ iungitur, à promissis* DEI *separatur,*

2. Cor. 6.

Cyprian. de simplicitate prælat.

tur, nec pertinet ad Christi præmia, qui re- ,,
linquit Ecclesiam Christi: Sed alienus est, ,,
prophanus est, hostis est. Habere iam non po- ,,
test Deum Patrem, qui Ecclesiam non habet ,,
matrem. Hæc cùm à Domino ciuitati confe- ,,
ratur, quæ supra montem sit posita, incerta Matth. 5.
esse nequit; sed omni loco & tẽpore se omnibus conspicuam præbet ac illustrem; cui propterea Dominus in fidei rebus præ cæteris parendum esse sub anathemate præcepit. Qui verò eam in loco ponunt incerto, vt vbicunque sit, eius tamen membra esse possint, si cum ea pacem colere studeant, quid aliud faciunt? quàm quòd se ignotam Ecclesiam sequi profiteantur; quo nihil absurdius dici potest.

DENIQVE & *illa pacis huius simulatæ conditio omnium est iniquissima, quæ cuiuis liberum iudicium permittere videntur, vt per se quisque statuat, quæ doctrina de quouis articulo extra Symbolum controuerso, aut vera sit, aut falsa, & quam ob id quisque sequi, aut fugere debeat. Nam hanc de fidei controuersiis iudicandi potesta-*

potestatem, non laicis, nec priuatis hominibus, sed ex Christi mandato Apostolis eorumq́; Successoribus, presbyteris & Episcopis datam esse iam sæpe constitutum est. Hinc Actor. 20. Tit. 1. *D. Paulus Ecclesiæ Pastores & Episcopos atq; Doctores ideo datos esse testatur, vt regant Ecclesiam Dei, vt confirment eos in doctrina sana, vt contradicentes redarguant, vt* Ephes. 4. *ædificent sanctos, ne circumferantur omni vento doctrinæ, vt non fluctuent, sed dicto sint obediētes, illis maximè Pastoribus, quos Christus Ecclesiæ suæ dedit ad consummationem Doctorum, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei. Quæ cum* Mediatores Catholicos dici non posse. *ita sint, quis non videt quæso, nullum esse in hac simulata pacificatione caput, quod cum pietate, cum religione, cum iustitia, cum æquitate conueniat: nec eos, qui hanc sectam sequuntur, verè Catholicos dici posse.*

Vincēt. Lyrinē. aduers. psan. hæres. nouitates. LONGE *enim aliter verum veri Catholici hominis officium describit nobis antiquissimus Author Vincentius Lyrinensis. Ille, inquit, es verus & germanus Catholicus,*

cus, qui veritatem Dei, qui Ecclesiam, qui Christi corpus diligit, qui diuinæ religioni, qui Catholicæ fidei nihil præponit, non hominis cuiúsque authoritatem, non amorem, non ingenium, non eloquentiam, non Philosophiam: sed hæc cuncta despiciens, ac in fide fixus, & stabilis permanens, quid- ,, quid vniuersaliter antiquitus Ecclesiam ,, Catholicam tenuisse cognouerit, id solum si- ,, bi tenendum credendumq; decernit: Quid- ,, quid verò ab aliquo deinceps vno, præter ,, omnes, vel contra omnes Sanctos, nouum & ,, inauditum subinduci senserit, id non ad re- ,, ligionem, sed ad tentationem potius intelli- ,, gat pertinere. ,,

QVAM *verò è contra misera sit conditio eorum, qui se in portu Ecclesiæ Catholicæ non tenuerunt, sed hoc pacis confictæ studio se temerè ab ea diuelli permiserunt, grauiter admodum grauissimus hic Author ostendere pergit. Et re vera, inquit, cum* Idem. *quæq; nouitas ebullit, statim cernitur frumentorum grauitas, & lenitas palearum;* Catholicorum grauitas. *tunc sine magno molimine excutitur ab area,*

Hæreticorũ leuitas.

area, quod nullo pondere intra aream tenebatur. Namq; alij illico prorsus auolant, alij verò tantũmodo excussi, & perire metuunt, et redire erubescũt, saucij, semineces, semiuiui: quippè qui tantam veneni hauserunt quantitatem, quæ nec occidat, nec digeratur: nec mori cogat, nec viuere sinat. Heu misera conditio, quantis illi curarum æstibus, quantis turbinibus exagitantur: Nunc etenim qua ventus impulerit, incitato errore rapiuntur, nunc in semetipsas reuersi; tanquam contrarij fluctus reliduntur: nunc temeraria præsumptione, & ea, quæ incerta videntur, approbant, nunc irrationali metu, etiam quæ certa sunt expauescunt; incerti qua eant, qua redeant, quid appetant, quid fugiant; quid teneant, quid dimittant.

Dubitantium in fide variæ conditiones.

NIHIL *profectò his vnquam rectiùs dici potuit in eos, qui spreto Ecclesiæ iudicio, priuatas opiniones sequuntur, & tamen Catholici videri volunt. Id quod Pacificatores isti liberum volunt esse omnibus, qui suam sequantur opinionem, cuius hæc est veluti*

qua-

quædam ſumma: Eos, qui Luthero & Caluino conſentiunt, modo animum amicum etiam erga Papiſtas, & reliquos gerant, & de Chriſto capite rectè credant, vera nihilominus eſſe vera Catholicæ Chriſti Eccleſiæ membra. Summa doctrinæ mediatorum.

EX *qua ſchola tandem alia noua & æquè pernitioſa prodiit ſecta eorũ, qui id nunc vrgent maximè, vt libera ſit cuiq; religio, et integra quiduis credendi facultas; quales hoc ſeculo in aulis Principum verſantur nõ pauci; quibus adeò placet hæc licentia, vt nihil minus ferre poßint, quàm vt aliqua Secta damnetur, nec vt aliquod fiat controuerſiarum examen aut iudicium, niſi quod propria cuique dictat ratio atque voluntas. Eam verò, quæ inter partes eſt, rerum penè omnium diſcordia, dißimulatione potius tegere, quàm Eccleſiæ cenſura euincere malunt: Quod ſibi perſuadeant, tranquillitatem publicam, non in ſingulis tantum Prouinciis, ſed etiam in tota Repub. Chriſtiana, hac ratione vel ſola optimè defendi augeri, & conſeruari poſſe: putentq; fore, vt hære-* Noua Secta liberæ religionis. Licentia Sectarum.

hæretici patientia, lenitate ac mansuetudine victi, vel ipsi sua tandem sponte resipiscant, vel beneuolentia ducti causam hanc communem moderatius agere incipiant.

VERUM *enimuerò, quàm Deo hæc siue libertas, siue licentia in rebus fidei sit ingrata, & à vera Religione aliena, id satis apertè diuina testantur oracula, quibus subinde monemur; ne quod nobis rectum videtur, sed quod Deus præcepit faciamus, & ne vel ad dextram declinemus vel ad sinistram, quod plerunque illis solet euenire, » qui proprio iudicio nituntur. Quamobrem » Elias, quod cultum nouum non repellere sit » admittere, & quasi de fide dubitare, suos » asperius increpat, illis eiusmodi vagam religionem veluti rem vero* DEI *cultu indignam exprobrans: Usquequo, inquit, claudicatis in duas partes, si Dominus est Deus, sequimini illum; si autem Baal, sequimini illum. Nam vt Deus vnus & Ecclesia vna; ita Fides etiam & Religio est vna: extra quam vnitatem nemo verè Christianus dici potest. Sanctus Ignatius B. Ioannis Apostoli*

Deuter. 12.
Deutero. 5. & 17.
Religio vaga.
3. Reg. 18.
In episto. ad Trallianos.

stoli discipulus minimè vult dici bonum, qui malum bono admiscuerit, & D. Paulus nefas ducit Christum diuidere; vt alius sit Pauli, alius Cephæ, alius Apollo. Ex hac enim diuisione variæ sequuntur opiniones; sicut ex opinionum varietate diuersæ oriũtur hæreses, quæ paulatim abeunt in factiones inter se dissentientes. Atque hinc fit sanè, vt hodie tot sint inter Pseudoeuangelicas religiones, quot sectæ, tot sectæ, quot sensus, tot sensus, quot omnino sunt capita. 1.Cor.1. Galat.1.

Errant itaque & toto cælo aberrant, qui hæreticos patientia mitiores fore sperant, quos licentia plerunque omnes deteriores fieri constat. Errant inquam, qui sectarios mansuetudine vinci aut molliri putant, cùm nec ratione victi facilè cedere soleant. Errant denique qui refractarios sua sponte adduci arbitrantur, vt moderatius nobiscum agere velint, apud quos nihil vnquam æquitatis aut modestiæ valet authoritas. Testatur id ipsa rerum penè omnium moderatrix experientia, Hæreticos pertinaces Hæreticos licẽtia fieri deteriores.

Hæreticos aut stultos aut furiosos esse. Psal. 138.

nihil vnquam moderatè, sed omnia ferè peruersè aut stultè, pleraque etiam furiosè agere, ac ob id tanquam iudicio proprio condemnatos odio perfecto dignos esse.

Quorũ authoritate vide in Malleo hæretic. lib. 1. c. 2. Nu. 9.

Quamobrem sancti etiam Patres, Cyprianus, Hilarius, Hieronymus, Augustinus, Vincentius Lyrinensis, Chrysostomus cum plerisque aliis, hæreses furias, ac bellonas, hæreticos verò furiosos & insanos appellare solent. Hinc enim hæreses, vt Cyprianus ait, & factæ sunt, & frequenter fiunt, dum peruersa mens non habet pacem, dum perfidia discordans vnitatem non tenet. Et paulò pòst; Quam verò, inquit, vnitatem seruat, quam dilectionem custodit aut cogitat? qui discordiæ furore væsanus, Ecclesiam scindit, fidem destruit, pacem turbat, charitatem dissipat, sacramenta prophanat. Verum, vt exemplis hæc res clarior euadat, percurram hic tantum pauca præcipuarum factionum capita, ex quibus etiam cæteras per se facilè quiuis omnes, & cognoscere, & discernere queat.

Cyprian de vnitat. Eccle.iæ.

Ac

AC VT principe loco ab eo incipiam, qui hæresum penè omnium primus, veluti Architectus fuisse videtur: Simon Magus asseruit se esse eum, qui sit super omnia, & in Samariam descendisse quasi Patrem. Inter Iudæos quasi filium apparuisse, in reliquis gentibus, quasi Spiritum sanctum aduentasse. Per se leuem meretricem quæstuariam se mente concepisse Angelos, & Archangelos facere, illamq; eos generasse. Quare secundum illius gratiam dicebat saluari homines, non secundum operas iustas, quibus vacare seruitus esset. Is dæmonum ei seruientium opera, multa admiranda faciebat. Nam, vt statuæ mouerentur, curabat, & in ædibus vasa atque instrumenta domestica se sponte propria hinc inde transferebant, & ipse flammis circundatus non vrebatur. Tandem Romæ in conspectu omnium manibus extensis, sursum versum, dæmonibus eum, quibus se permiserat ducentibus ferebatur. Sed D. Petri oratione statim præceps fertur, & Romæ illisus mortuusq; rumpitur.

Furores Simonis Magi. Irenæus lib. 1, ca. 20.

Nicephor. lib. 2, c. 27.

Idem li. eod. ca. 36.

Furores Mõtani. Euseb. lib. 5. cap. 14.

HVIC impietati persimilis fuit Montanus Hæresiarcha, vt Eusebius dicit, pessimus, natione Phrygus, qui se paracletum nominauit, & eo nomine seduxit multos. Inter quos Priscam & Maximillam claras mulieres infatuauit, vt relictis viris secum publicè deambularent, easq; stultè admodum prophetissas appellare solebat.

Furores Manicheorum. Euseb. lib. 7. ca. 27.

MANES verò, vt idem testatur Eusebius, gente Persicus, sed moribus Barbarus, tam acer fuit ingenio, vt insanire, vel dæmone impleri videretur. Hinc Christi se nunc gerere formam conabatur ostendere, nunc ipsum paracletum se esse prædicabat, & elatus insania ad similitudinem CHRISTI duodecim discipulos eligens ad prædicandum mittebat, dogmata stulta & impia, à diuersis hæreticis, qui iam prius extincti fuerant, mutuata disseminans.

Sic Luther. plurimas iã olim damnatas hæreses resuscitauit.

Furores Arrianorum. Lib. 1. Tripartit. hist. cap. 14.

DE ARRIANIS conqueritur Alexander Episcopus Constantinopolitanus: Arriani ait, nec priscorum quempiam dignantur

gnantur sibimet comparare, neque praeceptoribus se à quibus nos ab infantia eruditi sumus aquari patiuntur, neque comministrorum quenquam nunc vbicunque consistentium in mensura sapientiæ reputant, quasi soli sapientes, & nihil habentes, atque nouorum dogmatum inuentores, & quibus solis reuelata sint, quæ à nullo altero sub sole intellecta noscuntur. O scelesta superbia, immensa vasania, vana gloria furor, sapientia Sathanæ in animas eorum nequissimas vehementer insiliens. Non deterruit eos antiquarum scripturarum DEO amabilium explanatio, non ministrorum consors reuerentia, & de Christo ferocitatem eorum mansuefecit.

Eorum furores graphicè describit Vincentius Lyrinensis, in hæc nimirum verba. Nanque cùm profana ipsa Arrianorum nouitas, velut quædam Bellona aut furia, capto prius omnium Imperatore, cuncta deinde palatij culmina legibus nouis subiugasset, nequaquam deinceps destitit vniuersa miscere atque vexare, priuata ac publica,

Lyrinen. aduer. prophanas hæres. nouitat.

Heresis Bellona aut furia.

 sacra

ſacra profanáque omnia, nullumq́ boni & veri gerere diſcrimen, ſed quoſcunque collubuiſſet, tanquam de loco ſuperiore percu-
Perſecutiones hæreticorũ cõtra Catholicos. „ *tere. Tunc temeratæ coniuges, profanatæ*
„ *virgines, monaſteria demolita, diſturbati*
„ *Clerici, verberati leuitæ, acti in exilium*
„ *ſacerdotes, oppleta ſanctis ergaſtula, carce-*
„ *res, metalla. Quorum pars maxima inter-*
„ *dictis vrbibus protruſi, atque extorres in-*
„ *ter deſerta, ſpeluncas, feras, ſaxa, nuditate,*
„ *ſiti affecti, attriti & tabefacti ſunt.*

Furores Donatiſtarum. August. cõ tra 2. Gaudentij epiſt. lib.2.ca.14. DONATISTÆ *porrò Arrianis veſana immanitate non inferiores habendi ſunt; quorum perſecutiones Diuus Auguſtinus hac deplorauit querimonia. Si Catholicorum domus, inquit, Donatiſtæ non dirupiſſent, ſi Catholicas Eccleſias non incendiſſent, ſi Catholicorum Codices in ipſa incendia non immiſiſſent, ſi Catholicorum corpora non immaniſſimis cædibus afflixiſſent, ſi Catholicorum membra non præcipiſſent, ſi oculos non extinxiſſent, ſi denique Catholicos non crudeliter occidiſſent; Hanc ſolam à vobis grauiſſimam perſecutio-*

nem

nem perpeti verißimè diceremus, quia videmus vos insensatos, & tabescimus; quia infirmatos, & infirmamur; quia scandalizatos, & vrimur; quia perditos, & lugemus.

VNIVS porrò Apostatæ Iuliani fastus & perfidia, quantam Ecclesiæ attulerit afflictionem ex historia tripartita, facilè cuiuis constare potest. Nam statim ac fidem Christianam deserere cœpit, paganismum in omni sua ditione dilatari, Christianismum verò extirpare studuit. Clericos & Ecclesiarum præsules, primò à Ciuitatibus & Ecclesiis arcebat, vt eorum absentia paulatim solueretur Ecclesia, & Christianæ religionis succederet obliuio. Quibus etiam paulò pòst omnia priuilegia, honores & consuetudines subtraxit, ac leges ab Imperatore Constantino in Ecclesiæ fauorem latas, iterum abrogauit, ipsosq́ sacros Dei sacerdotes in seruitutem adegit. Episcopos denique in exilium compulit; quanquam cæteros Christianos magis blanditiis quàm tormentis visus est expugnare.

Furores Iuliani Apostatæ. Histor. tripart. lib. 6. ca. 7. August. lib. 10. ca. 38.

Furores Vandalorum.

QVID autem de vandalorum persecutionibus hoc loco dici queat, quod ad detestandam eorum crudelitatem sit satis, id verbis vix comprehendi potest; trium hic tantum illius gentis Regum furores perstringere lubet, quibus Ecclesiæ Catholicæ dignitas mirum in modum obscurata fuit atque depressa. Inter quos præcipuus ferè fuit Gensericus Vandalorum Rex, Tyrannus & Hæreticus, Arrianus nimirum insignis, qui Ecclesiam DEI *cædibus, rapinis, incendiis per totam Affricam, Aegyptum, Aethiopiam, & Siciliam persecutus est, ac tandem etiam Italiam vsque peruenit, Vbi Roma capta, templa & sacras ædes spoliauit, Ciues per dies quatuordecim omnibus diuitiis expilauit, trecentáque milia hominum inde captiuos adduxit. Cui postea Hymericus gener suus successit, nequitia & crudelitate socero non inferior, qui Arrianorum persuasu trecentos Episcopos in exilium relegauit.*

Gensericus.

Blond. Deca. 1. lib. 1.

Hymericus. Eutrop. lib. 14. Naucle. Genera. 16. Diacon. lib. 14. Cassiodo. Procop. de bello Vandalor. lib. 3.

DEIN-

DEINDE *Honoricus Genserici filius, & ipse Vandalorum Rex furore diabolico correptus, vna die omnes Ecclesias clausit, & vniuersam Ecclesiarum ac Episcoporũ substantiam suis Episcopis Arrianis condonauit. Post hæc edicto iubet cunctos Episcopos, Presbyteros, Diaconos, & alia Ecclesiæ membra quatuor millia nongenta sexaginta quinque in exilium relegari. Qui autem eis miserationis causa succurrere tentabat, cum tota domo incendebatur. Sacras etiam Virgines congregari, variisq; cruciatibus prosequi mandauit, vbi pœnarum acerbitate plurimæ extinctæ fuerunt, Ita vt nulli etiam ætati, nec sexui parceretur. Hos fustibus, alios suspendio cruciarunt; cremabant multos; alij sine manibus, alij sine pedibus, alij truncati auribus, alij scapulis euulsi, nonnulli in altum suspensi statim spiritum emiserunt.*

Honoricus siue Hunericus. Naucle. Generat. 17. Bergomensis lib 9.

TANDEM *etiam Rex Trasimundus, Honorico fratri in Vandalorum Regno successit, & Patris & fratris secutus perfidiam, clausis Catholicorum Ecclesiis, ducentos vi-*

Trasimundus. Naucle. Generat. 17. Eutrop. lib. 15.

Diacon. in Anastas. Procop. de bello Vandal. li. Paul. Constan.

ginti Episcopos, qui interea successerant, in Sardiniam exilio relegauit: quibus Symachus Rom. Pontifex quotidiana subsidia ministrauit, factis tum multis domorum incendiis, & denis millibus homicidiis.

Furores Albigensium.

Blond. De ca. 2. lib. 6. Plati. Æmil. lib. 6. Aphons. tit. de anima hæres. 7. & aliis.

AEQVE intollerabilis fuit Albigensium hæreticorum vasania, quorum in Tolosana ciuitate alij ventrem iuxta altaria exonerasse, alij rem ibi veneream exercuisse, alij sacram crucifixi imaginem brachiis amputatis, & fune collo alligato magnis blasphemiis per ciuitatem traxisse perhibentur. Alibi etiam super Missalia, & sacri Euangelij volumina ventris onera soluebant, vrinámque spargebant. Postea de muro illa contra Catholicos Christianos deiicientes ac sagittis impetentes clamabant: Ecce lex vestra miseri. Atque hæc vasania eo vsque tandem excreuit, & inualuit, vt breui temporis interuallo mille propemodum loca & oppida infecerint; & nisi hi furores bellò & gladio vltore depressi fuissent, totam Europam subuertissent.

Ant. in Speculo

Quo bello, vt refert Antoninus, octo millia

Catho-

Catholicorum, hæreticorum verò centum millia perierunt. ,, histor. 3. part. tit. ,, 19. ca. 1.

AT VERO, *vt tandem propius paulò ad hæc nostra tempora pergamus, de Hussitis scribit Æneas Syluius, VVenceslaum Bohemiæ Regem Consulibus nouæ ciuitatis Pragæ mandasse, ne vlterius ab Hæreticis Dominicum corpus in pompa deferri permitterent. Hæretici verò multò quàm antea insolentiores facti, post hæc apud Carmelitarum Monasterium confluunt, ab Ecclesia S. Stephani Eucharistiam, per plurimas plateas atque Ecclesias circumferentes, exinde domum cuiusdam Sacerdotis ineptiis suis non consentientis destruxerunt, ,, & clamore magno furentes prætorium ad- ,, currunt, Consulem, Iudicem vrbis, & non- ,, nullos alios ciues ex improuiso detinuerunt, ,, & ex altissimis fenestris in forum præcipitarunt, lanceis & ferubus irati populi intercepti, dirum spectaculum præbuerunt, stante in foro Ioanne Monacho venerabile Christi corpus sanguinario populo ministrante.*

Furores Hussitarum.

Æneas Syluius de origin. Bohemorũ c. 35.

NO-

Furores Lutheranorum.

Sur. Anno 66. fol 65 i. circ. fin.

Cochlæus de actis Lutheri Anno 25.

NOSTRO deinceps ſeculo à Brentio grauiter obiicitur Bullingero, quòd ab irato & furioſo Luthero, ad placidum & extra contentionem loquentem appellet. Vnde apparet etiam hæreticos in Luthero aduertiſſe furorem; & ſanè quàm is impotens & rabioſus fuerit furor, abundè ſatis teſtatur turbulentiſſima illa fax belli, & ſeditionis author Thomas Muntzerus presbyter, qui Lutherana & Anabaptiſtica vaſania ductus, tam ciues quàm ruſticos concionando eò pertraxit; vt abolerent omnem cultum diuinum, eiicerent Clericos & Monachos, ſpoliarent templa & monaſteria; diſtringerent imagines; ciboria & baptiſteria; conculcarent diuina Sacramenta, aliaq́; id genus multa committerent dictu nefanda, & piis auribus abominanda. Quippè non ſolùm imagines Sanctorum, ſed etiam ipſa templa & monaſteria diruere, Sacramenta pœnitus abolere, Epiſcopos, Presbyteros, & Monachos occidere, atque etiam Principibus omnem gubernandi poteſtatem eripere conabantur. Adeò vt eo in bello, quod contra

tra rusticos eo tempore gestum est, ad cētum ››
& viginti millia rusticorum diuersis in lo- ››
cis perierint. ››

NOTISSIMA *est Caluinistarum Tyrannis & Iconomachia, quam per omnes Belgij Prouincias, perq́ Flandriam, Hollandiam, Zelandiam, & Frisiam tanta crudelitate exercuerunt, quæ vix cogitatione complecti, ne dum verbis satis dignè detestari queat, vbi primùm templa & Monasteria omnia, tàm intra, quàm extra vrbes inuaserunt, imagines omnes, Christi crucifixi signa, altaria, baptisteria, Eucharistiæ ædiculas, organa, sedilia, sacella, suggestus, candelabra, codices confregerunt; omnis generis ornamenta thesauros; calices, patinas, ampullas, thuribula, aut frustatim comminuerunt & inflammarunt, aut absportarūt; & quod est sanè apud omnes homines è religione Christianos dictum quoque horrendum,* Furores Caluinistarum. Sur. Anno 66. pagina 688.
Sacrosanctam Eucharistiam homines ››
impij & scelesti pedibus conculcarunt, con- ››
foderunt, ignibus iniecerunt: eodem modo ››
etiam sacras tractantes reliquias Diuorum; ››

' *ſacro Oleo & Chriſmate calceos inunxe-*
' *runt, miriſq; ludibriis Chriſti à cruce pen-*
' *dentis, & Sanctorum imagines exagita-*
runt, additis id generis planè barbaris vo-
" *cibus: Si Chriſtus es, ſi Filius Dei es, ſi quis*
" *Sanctorum es, aut aliquid potes dicito, vi-*
" *ueles geux: atque ita tuam imaginem non*
confringemus; ad extremum Bibliothecas
paſſim inſignes prorſus diſſiparunt & per-
diderunt.

Furores Gallici. Surius Anno 67. fol. 738.

DE GALLICIS *furoribus & Hugono-*
tarum facinoribus ſanè horrendis, Surius
doctum quendam virum, qui pleraque vi-
derit, ſic ſcripſiſſe teſtatur: Ruinæ & crude-
litates, quas hæretici in noſtros exercuère,
vix à poſteris credentur; Altaria deſtructa;
imagines comminutæ, templa multis locis
incenſa, multis diruta; quid dico multis? Sa-
nè numero incredibili, vtpotè ad decem mil-
lia & ſuprà. Quæ reſidua fuère, ad vſum
' *equorum commutata, aut in ſpeluncas la-*
' *tronum conuerſa. Aureliæ Auguſtæ crucis*
' *templũ mirabili opere, & cælatura, Lugdu-*
' *ni fanum Iuſti, actis cuniculis, & incenſo*
pul-

puluere corruerunt. Sanctorum ossa, aut cõcremata, aut in profluentem deiecta. Sic D. Martini apud Turones, Irenæi, Iusti, & Bonauenturæ apud Lugdunenses, Hilarij apud Pictauos, apud Engolismẽses, Diuorum omnium, qui ibi sepulti erant, corpora amisimus. Monasteria supra sexcẽta solo æquatà, plurima incensa: quam calamitatem pertulit magna Carthusia Allobrogũ, tertio lapide à Gratianapoli: Vasa aurea atque argentea, quæ maiorum pietas templis reliquerat, partim ab hæreticis per sacrilegium rapta, & in pecunias versa; partim à præfectis Prouinciarum in vsum belli accommodata. Eucharistia porcis obiecta, pedibus protrita, Oleo sacro cocta, & quod maximè horrendum est dicere, tergendis natibus adhibita, cum eam vocitarent irrisorio apud Gallos nomine, Ioannem Album, stultum appellantes Christum, quòd sub figura panis corpus suũ occuluisset. Pratiosa vestis, aurea omnis generis, & gemmata sacrorum ornamenta amissa, ex vasis æneis tormenta conflata. Bibliotheca, quæ in nostra Gallia instructissima

O plus quam Sathanicam impietatem.

ſimæ atque antiquiſſimæ fuerè, paßim arſerunt. Et poſt pauca. Multæ vrbes ferro igniq́ vaſtatæ, multæ multa auripondo ſeditioſis extrema minantibus tradere coactæ; aliæ diuturno militũ præſidio vexatæ, mœnibus nudatæ, pecunia mulctatæ, vectigalibus oppreſſæ: ciues in exilium acti, aut in oculis vxorum & liberorum trucidati, agri hoſtiliter vaſtati, Coloni per ludibrium interempti, Francorum opes alto delatæ.

Furores Belgici.

Surius ibid.

APAMENSES *hæretici feſtis Penthecoſtes ſigno dato ſupra ducentos ex gente Catholicorum interfecerunt, conſulis domum incenderunt; cuius incendij ardentibus flammis, cum duobus liberis vir cõſtantiſſimus eſt extinctus. Mulieribus grauidis vterus ferro cæſus, infantes ad ſaxa acti, ante mortem accepêre quàm vitam. Ad fanum Macarij in Vaſconia, ab hæreticis Catholici viui agesta humo obruti, pueri medij ferro ſecati: Sacerdotum viſcera fuſte intorta ſenſim extracta. Quis hæc credat, qui ipſe non viderit? & tamen verè ita acciderunt. Conſtat ſupra quinquies mille*

Ecce tibi humanitatem planè Euãgelicam.

ſacer-

sacerdotes omnis generis, vtroque tumultu, & lentis & crudelibus suppliciis esse peremptos, quibusdam eorum pellem detractam, qui octauo aut nono demum die, quasi ad insaniam redacti, spiritum exhalabant. Multis caput amputatum; alij militari supplicio minoribus tormentis expositi, aut æ nearum machinarũ ori alligati, emisso igne in frusta distracti, plurimi vnco summo gutturi affixo, dolore ac inedia confecti, non pauci in templorum crucibus suspensi. Plurimi etiam sulphureo puluere instructi, lardóque peruncti, misso igne arserunt. Alij candentibus verubus viui per posteriores partes infixi, alij clauis ferreis, in abrasam capitis partem adactis extincti, nonnulli exenterati, quorum viscera frumento respersa, in alimentum porcorum cesserunt. Multi supersunt adhuc mutili, dissectis naribus, amputatis auribus, pedibus scissis aut adustis, vnguibus extractis, cæcati, vulnerati, sensibus spoliati, qui harum crudelitatum præ se ferunt vestigia. Sacræ denique virgines violatæ, & alia id generis perpetrata

5000. Sacerdotum crudeliter necati.

sunt scelera penè infinita. Et hæc adeò vera sunt omnia, vt hæretici etiam multò plura, & his acerbiora se fecisse, etsi non sine diuina interdum vltione, glorientur.

Furores hæreticorum à Diabolo profectos esse.

SED *horret animus hic referre plura, cùm hæc vel sola ad institutam actionem abundè sufficiant: vtpote ex quibus id primum verè affirmare liceat, hos furores omnes ab vno eodémque Antichristi spiritu, hoc est, diabolo, profectos esse: quibus ille ad subuersionem veræ religionis vtitur: vt sic totum mundum non dolo tantum & insidiis, sed etiam terroribus, minis, ferro, igne, aliisq́ue tormentis propè inauditis exagitet. Vnde rectè D. Hieronymus: Hæreticorum corda, inquit, diaboli igne succensa, vt in eis panes coquantur Antichristi, nemo ambigit; qui idcirco primùm quiescunt in Ecclesia, & loquuntur in occulto, & omnia pacifica repromittunt, vt cancer paulatim serpat in populos: & fermentum doctrinæ eorum, cùm intumuerit in cordibus deceptorum, tunc in apertam prorumpat insaniam.*

Hieron. in Ose. ca. 7.

ATQVE

ATQVE vtinam hæc mala non etiam hodie in aliquibus Germaniæ celeberrimis prouinciis gliſcere videantur, in quibus tam diu cum hæreticis colluſum eſt, dum tantas vires adquiſiuerint, quibus reſiſtere admodum ſit difficile. Id quod à principio quidem erat facillimum, ſi Magiſtratus officio ſuo vti, & ab ouili ac grege Chriſti, lupos illos rapaces hæreticos maturiùs, arcere voluiſſent. Sed poſtquam res religionis, in aulis Principum, à pueris laicis humana quadam ſapientia geri cœperunt, mox inuenti ſunt adulatores peſſimi, qui optimis alioqui Principibus perſuaſerunt, vt ſceleratiſſimis quibuſq; hæreticis parceretur. Ac ne id ſine ratione aliqua conſulere viderentur, varios prætexerunt fucos atq; præſtigias, quibus hæreſum licentiam palliarent. Alij vt ne hæretici ad maiores contentiones prouocarentur, alij ne iſtorum patroni atque fautores primarij offenderentur: alij ne tumultus fieret in populo; alij ne prouinciæ viciniores in odium raperentur: alij vt populo placerent, quas feciſſent fabulas; alij vt ſuis ma-

Quæ hodie mala ex hæreſum licentia prouenìant.

gis quàm publicis rationibus consulerent: alij denique vt quæstum facerent, & religionem cum pecunia commutarent.

Sapiẽtiã humanã Deus fecit stultã.

AT VERO quàm stultam ac perditam Deus fecerit hanc sapientiam humanam, is qui paulò pòst secutus est euentus, satis apertè demonstrauit. Nam hac re vna hæresibus in vniuersum ferè omnibus aditus est paratus, ac hæretici vndique profligati confluxerunt, & grauissimi Dei hostes sunt recepti.

Hæreticorũ doli ac fraudes.

Qui principiò quidem ingrediũtur vt oues, imperant verò vt Leones. Simulant se paratos, & dare, & accipere veræ fidei rationes, petuntq; secum patientiam haberi, dum rectius edoceantur, & vnicum concedi locum, vbi religionem suam tutò interim possint exercere. Verum quando vident Catholicos imperitæ multitudinis suffragiis vinci, protinus damnare incipiunt omnes, qui secum non consentiunt, & iussi abire, id sine tumultu fieri non posse clamitant: vt hoc clamore subditos aduersus Principes exasperent, ac eos in Catholicos populos excitent furores, quibus hactenus quidem sæpe, sed nun-

nunquam sine ingenti clade, tumultuatum esse demonstrauimus.

Ex quibus deinde illud etiam rectè inferri potest, quod hac præfatione vel inprimis probandum suscepimus: hæreticos videlicet nihil moderatè vnquam, sed omnia ferè semper aut peruersè aut stultè, ac pleraque furiosè agere. Quid enim est, si non hæc summa malitia est? quòd in scripturis peruertendis, vt Diuus ait Augustinus, adeò temerarij & audaces sunt hæretici, quos id maximè agere videmus, vt vel omnis de medio scripturarum auferatur authoritas, vel vt suus cuique animus sit author, quid in quaque scriptura probet, quid improbet; id est, vt non authoritati scripturarum subiiciatur ad fidem, sed sibi scripturas ipse subiiciat: non vt ideo illi placeat aliquid, quia hoc in sublimi authoritate scriptum legitur, sed ideo rectè scriptum videatur, quia hoc illi placuit. Hæreticos omnia peruersè agere. August. contra Faust. li. 32. cap. 19. Tom. 6.

QVANTA verò, per Deum quæso stultitia est; hæreticos propterea non condemnandos esse, quòd de aliquibus fidei dogma-

tibus rectè nobiscum sentiant? cùm apud hæreticos, Vt Diuus inquit Chrysostomus, veritati errores plerunque sint connexi, & sub vmbra veritatis decipiant, vt per similitudines facilè seducant leuiores. Aliud etiam, Irenæo teste, dicunt, aliud sentiunt. Variè enim diabolus, vt Tertullianus refert, amulatus est veritatem. Affectauit illam aliquando defendendo concutere. Vnicum Dominum vindicat omnipotētem mundi conditorem, vt de vnico hæresim faciat. Habent quippe hæretici, D. Gregorio testante, hoc proprium, quod malis bona permisceant, vt facilius sensum audientis illudāt. Si enim semper praua dicerent, citius in sua prauitate cogniti, quod vellent, minimè persuaderent. Rursum si semper recta sentirent, pro-
,, *fectò hæretici non fuissent. Sed cum fallendi*
,, *arte ad vtraque deseruiunt, & ex malis bo-*
,, *na inficiunt; & ex bonis mala, vti recipian-*
,, *tur, abscondunt: sicut qui veneni poculum porrigit, ora poculi dulcedine mellis tingit: dumq; hoc, quod dulce est, primò attactu delibatur, etiam illud, quod mortiferum est, indu-*

Chrysost. hom. 47. in Matt. ca. 13.

Iren. in præfat. lib. 1.

Tertul. contra Praxeam initio libri.

Gregor. lib. 5. Moral. super illud Iob. 3. Et venit super me indignatio.

indubitanter absorbetur. Itaque hæretici ,,
permiscent recta peruersis, vt ostendendo ,,
bona, auditores ad se trahant; & exhibendo ,,
mala latenti eos peste corrumpant. Et Diuus ,,
Ambrosius: Nihil itaque periculosius istis ,,
hæreticis esse potest, quàm qui, cùm integrè per omnia decurrant, vno tamen verbo, ac si veneni gutta, meram illam ac simplicem fidem dominicæ, & exinde Apostolicæ traditionis inficiant. Vnde vehementer nobis cauendum est, ne se vel sensibus, vel auribus nostris huiusmodi latenter aliquid insinuet: Ambr. in li. de fide Orthodoxa cõtra Arrian. 1. Tom. 2. Hæreticorũ crudelitas.
quia nihil tam cogit in mortem, quàm sub ,,
obtentu fidei fidem violare. ,,

QVÆ porrò illa diabolica, & plusquam Turcica est crudelitas, adeò seuire in sanguinem Christianum, vt anteà quiescere non possint hæretici, quàm vniuersum veteris Ecclesiæ cœtum omnino videant extinctum? Vnde apertè constat, hæreses à sanctis Patribus rectissimè dici furias & hæreticos furiosos, ac ob id, ni resipiscant, perfecto odio dignos esse. Nam & Irenæus; qui schismata, inquit, operantur sunt imma- Iren. lib. 4. aduer. hær. cap. 62.

nes, non habentes DEI *dilectionem, suam vtilitatem potius considerant, quàm vnitatem Ecclesiæ, ac propter modicas & quaslibet causas, magnum & gloriosum* CHRISTI *corpus conscindunt, diuidunt, & quantum in ipsis est, interficiunt, pacem loquentes, & bellum operantes. Bellum inquam hostile, quo sibi nec à* CHRISTI *Maiestate temperare potuerunt. Et Hilario teste, tantus est hæreticorum furor, licet Dominum iam in cœlis sedentem, exemplo Iudæorum in crucem agere non poßint, pari tamen infidelitate hoc eum quod est, denegant: & cum non poßint negare, quæ dicta sunt, tamen dictis non obedientes, odium impietatis exercent, verborum lapides iniiciunt, & si possent, de throno eum suo in crucem traherent.*

Hilar. lib. 7. de Trinitat.

Veritatem non ab hæreticis, sed à Catholicis esse petendam.

QVAM *denique profligata est vesania, veritatem ab hæreticis petere? qui eam non habent, & quorum Pater diabolus ab initio mendax fuit: qui, D. Hieron. teste, „ videntur sibi quidem sapere, cum re vera „ sint stulti. Quare nobis ea potius seruanda est,*

Hiero. in Isai. ca 9. Tom. 5.

est, veritatis inuestigandæ ratio, quam sancti olim Patres fide bona præscripserunt. Non enim oportet adhuc, inquit Irenæus, quærere apud alios veritatem, quàm facilè est ab Ecclesia sumere, cùm Apostoli, quasi in depositorium diues, plenissimè in eam cõtulerint omnia. Et D. Augustinus: Religio ait, neq; in confusione paganorum, neque in purgamentis hæreticorum, neq; in languore Schismaticorum, neque in cæcitate Iudæorum quærẽda est; sed apud eos solos, qui Christiani Catholici, & orthodoxi nominantur, id est, integritatis custodes, & recta sectantes. Cuius rei efficacissimam rationem reddit Vincentius Lyrinensis, in suo aduersus profanas hæresum nouitates aureo libello. Christi verò Ecclesia, inquit, sedula & cauta depositorum apud se dogmatum custos; nihil ,, in his vnquam permutat, nihil minuit, nihil addit, non amputat necessaria, non addit superflua, non amittit sua, non vsurpat aliena: sed omni industria hoc vnum studet, vt vetera fideliter sapienterq; tractando, si qua illa antiquitus sunt informata, & in-

Irenæ. aduers. hæres. lib. 3. ca. 4.

Augusti. de vera religio. lib. 1. ca. 5.

Vincent. Lyrinen.

choata, adcuret, & poliat; si qua iam expressa & enucleata, consolidet, & confirmet; si qua iam confirmata, & definita, custodiat.

QVÆ cùm ita sint, pessimè de Rep. Christiana merentur illi, qui cum hæreticis alias pacis constituendæ rationes ineunt, quàm vt prius ad Ecclesiæ gremium redeant, & eam fidissimam veritatis custodē nobiscum agnoscant, eiq; se totos ita tradant atq; commendent, vt cum ea, eiusq; doctrina ac fide & mori, & viuere sint parati: pertinaces verò hæreticos, eorumq; vesanos errores cum Dauide & Apostolis sanctisq; Patribus, odio
Psal. 138. *perfecto persequi velit. Perfecto odio, inquit ille, oderam illos. Apostoli verò cum hæreticis nullum omnino commercium habendum esse voluerunt, Hæreticum hominem, D. ait*
Ad Tit. 3. *Paulus, post vnam & secundam correptionem deuita; sciēs quia subuersus est, qui eiusmodi est, & delinquit cum proprio sit iudi-*
2. Ioan. *cio condemnatus. Et B. Ioannes: Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam (quam scilicet Catholica tenet Ecclesia) non adfert, nolite eum recipere in domum: nec aue ei dixeritis.*

Qui

Qui enim illi dicit aue, communicat operibus eius malignis. Qualia sunt, quæ Apostolus his complexus est verbis. Et erunt homines se ipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, & incontinentes, immites, sine benignitate proditores, proterui, tumidi, & voluptatum amatores magis quàm Dei: habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes. Hos autem deuita; 2. Tim. 3.
Sicut eos etiam beatus Ignatius fugiendos esse monet. Nefandas verò hæreses, inquit, & schismata facientes fugite, sicut principatum malorũ. Videte malignos operarios, inimicos crucis Christi, quorum finis est interitus, quorum Deus venter est, quorum gloria in confusione eorum, Videte canes rabidos, serpentes super pectus repentes, dracones squammosos & aspides, Basiliscos, scorpiones. Hi sunt θῶες, hoc est, lupicernarij & mordaces, vulpes et simiæ humana imitãtes. Ignat. ad Smyr.

NON *minus verò fugiendos ac cauendos esse volunt eos, qui Catholicam quidem reli-* Etiã mediatores tanq̃ hæreticorũ fautores esse fugiẽdos.

religionem nobiscum profitentur esse verum, & tamen cum hæreticis communicãt; dum illos defendunt, dum erroribus patrocinium præstant, dum eos Ecclesiæ Catholicæ membra statuunt, dum hæreticis conniuendum esse volunt, nec dogmata falsa hostili animo persequẽda, sed cum hæreticis pacem habendam esse persuadere conantur. Nam
„ *isti quidem, cùm nullius hæretici Sectam,*
„ *quantumuis impiam & absurdam damnare*
„ *velint, tacitè omnes approbare videntur, vt*
„ *tandem sua fidè quiuis saluus esse possit; longè pestilẽtiores Reip. Christianæ sunt hostes, quàm manifesti sunt hæretici; quòd ab his sibi quisque facilius, quàm ab illis cauere possit.*

Duplex furorum genus. CVM *autem duplex sit furorum hæreticorum genus, vnum eorum, qui cæde ac*
Belli. *sanguine Remp. infestant, de quibus histori-*
Falsæ doctrinæ. *ci sunt consulendi; alterum eorum, qui falsa doctrina Ecclesiam perturbant; nos hic vanissimos hæreticorum prosequemur errores, hæreses atque blasphemias, quibus perfidi homines (si modo homines dicendi sunt, qui*

nec

nec Deum nec homines verentur) quasi furiis agitatæ Christianæ Reip. concordiam, ab exordio nascentis Ecclesiæ hactenus furiosissimè impetere ac si fieri potuisset, penitus euertere conati sunt, De quibus quidem post veteres illos rerum Ecclesiasticarum scriptores, Epiphanium, Irenæum, Tertullianum, Augustinum, Theodoretum, Guidonem, et alios, ex Neothericis quidam, Alphonsus puta de Castro, Gabriel Prateolus, & Nicolaus Sanderus doctissimos commentarios perscripserunt, verum cùm eiusmodi volumina, vix paucis ad manum esse possint, ego studio ac zelo Ecclesiæ iuuãdæ, vt opinor pio, ex his postremis, & in primis ex Sanderi libro septimo de Monarchia Ecclesiæ, hoc veluti Breuiarium seu Enchiridion collegi; vt vel hinc appareat tandem cuiuis Babylonia illa magna, seu horrenda hæresum confusio, quæ à Christo nato in hunc vsque diem exortæ: nunc verò in locos communes per certas quasdã classes, sic digestæ ac distributæ sunt, vt ex primo statim intuitu constet, q̃, à quibus, & quo tempore, de quouis articulo fidei con-

Ex quib. autorib. hæc summa hæreticorum fabularũ sit collecta.

controuerso, vel asserta fuerint, vel damnata. Quam operam, qualis ea cunque sit æstimanda, non illis tantum, qui in publico docendi munere versantur, sed aliis etiã veræ pietatis studiosis omnibus, inprimis verò aulicis hominibus, et quibus ipsos fontes accedere nõ vacat, vtilissimam fore non dubitamus.

De libelli huius vtilitatibus.

EX HAC *enim breuissima Hæreticorum fabularum descriptione, lector pius ante omnia cognoscere poterit, quæ potissimum religionis capita ab hominibus curiosis hactenus in dubium vocata fuerint, atque cõtrouersa. Deinde verò, quæ de quouis fidei ac religionis controuersæ articulo, subinde natæ sint hæreses, ex ordine temporũ facillimè deprehendet. Cognitis autem falsis de rebus fidei opinionibus, eadem etiã opera intelliget, quæ contra de quocunque religionis Christianæ capite vera sit Ecclesiæ Catholicæ doctrina. Atque hoc est, quod D. Hieron. dicere solebat; quòd hæreses ad originem suam reuocare, sit eas cõfutasse. Hinc denique vix aliud æquè certum est, hæreticos nostri tẽporis conuincendi argumẽtum, quàm est illud, quod hoc vnico libello*

libello demonstrare possumus, præcipua nouatorum dogmata, aut cum veterum hæreticorum iam olim damnatis opinionibus cõuenire; aut veluti noua figmẽta, cum Catholica doctrina dissentire. Cuius rei quanta sit vtilitas, in recessu huius Summæ facilius, quam ex fronte apparebit. Fac, lector bone, periculum, & si quod te iuuet ac delectet inueneris, æqui boniq; hunc laborem consule. Illos verò qui à Catholica Rom. Ecclesiæ doctrina temerè discesserunt, aut cùm eius aduersarij colludere decreuerũt, seriò ac bona fide admonitos & rogatos esse velim, vt se suaq; dogmata omnia, in hoc compendio veluti speculo intueantur, ac relictis hæreticorum toties abolitis atq; damnatis opinionibus, vel tandem sapiant, recteq; nobiscum sentiant, & valeant. Quòd illis & nobis benignè concedat is, qui solus est, via veritas & vita. Cui nos totos trado atque commendo.

CLAS-

CLASSIS HÆRESVM PRIMA.

A.

ABSOLVTIO.

NOVATIANI homines quidem ad pœnitentiam hortabantur, sed pœnitentiæ fructum (qui eſt abſolutio à crimine) dicebant per ſacerdotes obtineri non poſſe, veluti qui nullũ ſignum ſeu Sacramentũ à Domino inſtitutum accepiſſent, cuius vitalem poteſtatem exercerent, circa annum 250. Contrà Cyprianus ad Cornelium lib. 1. Epiſt. 2. & in lib. 4. Epiſt. 2.

2. SYMPRONIANVS Nouatianæ hæreſis ſectator dicebat, ſolum Deum ignoſcere poſſe pœnitẽti. Circa annum 251. Quod idem plerique Lutherani, & omnes Caluiniſtæ hodie dicunt. Contrà Pacianus in Epiſt. 1. 2. & 3. ad eundẽ Sympronianum.

Lutherani & Caluiniſtæ ſunt Nouatiani.

In assertion. artic. 12. 3. MARTINVS Lutherus asserit, eum qui se absolutũ credit, verè absolutum esse, quantumuis contritio desit; & absolutionem efficacem censeri; nõ quia fit, à quocunq; tandem fiat, erret etiam, vel non erret, sed quia creditur. Circa annum 1521. Contrà Alphonsus de Castro lib. 2. aduersùs hæreses, in loco de Absolutione hæresi 1.

Ibidem artic. 13. 4. IDEM Lutherus dicit, puerum & mulierem æquè absoluere ac Papam. Eodem tempore. Contrà Alphonsus de Castro ibidem, hæresi 2.

II.

ABSTINENTIA.

1. EBIONITÆ ab animatis abstinebant. Circa annũ 80. Contrà 1. Tim. 4.

2. MANICHÆI omnem ciborum abstinentiám dęmoniorum doctrinã esse, à Paulo dictum putabant. Circa annum 410. Id quod etiam hodie sentire vidẽtur Lutherani. Contrà Augustinus in lib. 3. contra Faustum, cap. 4. & 5. Sanderus Secta 98. Lutherani Manichæi.

3. PSEV-

3. PSEVDOAPOSTOLICI abstinebant à lacticiniis, & ab omni quod coitu procreatur. circa annum 1155. Cõtrà Bernhardus in Cant. Sermo. *66*.

III.

ADAM.

1. TATIANVS, teste Irenæo, Adamum saluatum esse negauit. circa annum *165*. Contrà idem Irenæus lib. *1*. cap. 34. Lib. 1. c. 31.

2. PEPVZIANI, Quintiliani, seu (vt est apud Epiphanium) Priscilliani, Euę gratias agebant, quòd de ligno prudentiæ comedisset. circa annum *175*. Contrà Clemens in tertio Stromatum.

3. TERTVLLIANVS, Adamũ Dei imaginem perdidisse putabat. circa annũ *210*. Contrà Theophilactus ad Autolicum, Sanderus Secta 45.

4. PELAGIANI & Cœlestini dicebant, Adamũ etsi non peccâsset, fuisse tamen corpore moriturum, neque mortuum merito culpæ, sed condi-

tione naturæ, circa annum 415. Contrà Apostolus Rom. 8. Concilium Mileuitanum can. 1.

5. DICTVM illud, quod Adæ anima, cùm peccasset, mortua est, Pelagianus quispiam nouus hæreticum esse notauit, circa annum 595. Contrà Gregor. lib. 5. Indict. 14. Epist. 14.

6. ARMENII dicebant, Adamum, & Euam in statu innocentiæ nunquam fuisse carnali copula coniungendos, humana specie aliter propagata, circa annum 603. Contrà Gregor. in Iob. lib. 4. cap. 28.

7. PHILASTRIVS meminit cuiusdam hæresis, quæ asseruit, primos parentes Adam & Euam ante peccatum cæcos fuisse, ac tunc primùm videre cœpisse, cùm de cibo ligni vetiti comederunt: cùm scriptura referat, oculos eorum fuisse apertos, & sic suã considerâsse nuditatem. Quis autem huius hæresis fuerit author, quo tempore fuerit orta, non constat. Contrà Genes. 3. vi-

Genes. 3.
Alphon. de Cast. aduer. hære. in ver. Adã & Eua hæres. 5.

3. Vidit igitur mulier quòd bonum esset lignum ad vescendum &c.

IIII.

ADORATIO.

1. SIMONIS Magi & Selenæ meretricis imaginem adorabant ipsius mystici sacerdotes, & sectatores, circa annum 50. Contrà Actorum 15. & Lucæ 4.

2. SIC EPIPHANES filius Carpocratis, Gnosticæ hæreseos sectator, vt D. Clemens Stromatum 3. testatur, adorabatur vt Deus, circa annum 120. Contrà vbi suprà.

3. HINC Gnostici quidam Caini dicuntur, qui adorant Cain, velut ex potenti virtute procreatum. Et Sethiani, qui adorant Seth, velut ex superna matre natum, circa annum 130. Contrà Irenæus lib. 1. cap. 35. Caini. Sethiani.

4. AVGVSTINVS hæres. 39. refert, aliquos Angelicos fuisse dictos, qui Angelos adorabāt, circa annum 195. Contrà Clemens in 3. Stromatum. Angelici.

5. SOLEM iſtum corporeum adorabant Manichæi, idque quoniam Chriſtus interdum in ſcripturis per ſolem ſignificatur, circa annum 410. Contrà Auguſt. in Pſal. 130.

V.

ADVLTERIVM.

1. SIMONEM Magum indifferenter vti fœminis docuiſſe, teſtatur Auguſtinus hæreſ. 1. circa annum 50. Contrà 1. Cor. 6. & 7.

2. NICOLAITÆ docebant indifferenter mœchari & Idolothytum edere. circa annum 80. contr. Apocal. 2.

Prateol. de Sectis li. 18. ca. 24.

3. INTER hęreſes Trinitariorum Gabriel Prateol⁹ refert eos docere; Quòd ſi aliquis habens vſum liberi arbitrij, & incidens in tentationem tantam, vt nō poſſit illi reſiſtere, moueatur ad illecebram cum aliena vxore, non cōmittere adulterium: ac item de aliis tentationibus & peccatis. Hoc ſęculo noſtro. Cōtrà Matth. 5.

Trinitarij adulteri.

VI.

VI.

ALTARIA.

1. ECCLESIAS & altaria despiciunt Messaliani siue Euchitę & Enthusiastę, eò quòd nō deceat Monachos & Ecclesiasticos cœtus sacrificium celebrare. circa annū 389. contr. Ambros. Epist. 33. Aug. contra Faust. li. 20.

2. HI ETIAM extorserunt velamina & instrumenta dominica, & cum codicibus altariū pallas, arbitrati ea apud Catholicos esse polluta. At Lutherani & Caluinistæ, nec pallas quidem vllas, aut velamina in altari esse volunt, in eo Donatistis peiores. Contrà Optatus li. 6. Sander. Secta. 90. Lutherani & Caluinistę sunt Donatistæ.

3. DONATISTÆ altaria Dei fregerunt, raserunt, remouerunt. circa annū 400. Hęc eadem hodie faciunt Lutherani, & Caluinistę. Contr. Optatus li. 6. Sander. Sect. 91.

4. INTER Græcorum schismata etiam illud ponitur; Si quando sacerdotes Latini super eorum celebrâssent altaria, non priùs ipsi sacrificari volebant in illis, quàm ea, tanquam per hoc

inquinata, lauissent, circa annum 942. Contrà Concilium Lateranense sub Innocentio 3. ca. 4.

Prateol. li. 1. c. 29. hær. 4. 5. ALMARICUS Altaria Sanctis dicata, & imagines thurificare, Sanctorumque inuocationes Idololatrias esse dicebat, circa annum 1204. Contrà Guilhel. Durand. in Rationali diuinor. off. lib. 4. cap. 10.

Lutherus blasphem⁹. 6. LUTHERUS in Formula Missæ, pro Ecclesia VVittenbergensi, altaria vni Deo viuo, & vero sub Christi nomine, aut Sanctorum titulis & memoriis consecrata, vocat insignia Baal, & omnium Deorum, circa annum 1546. Contrà Apocal. 6. August. in Sermo. 11. de Sanctis. Optat. lib. 6. Apostol. 1. Corint. 10. Malach. 1. Prouerb. 9. Isai. 65. Gregor. Nyssen. in lib. de sancto Baptismate.

VII.

ANGELI.

Insania Simonis Magi. 1. PER SELENEM meretricem quæstuariam se mente concepisse Angelos, & Archangelos facere, illamq; eos gene-

generâsse insanit Simon Magus, circa annum 50. Reclamat scriptura Psal. 15. 1. Corint. 1. Hebræ. 1. Augustin. lib. 12. de ciuit. Dei cap. 9.

2. ARCHONTICI dicebãt, à Principibus, seu Archangelis rerum vniuersitatem factam esse, circa annum 140. contrà Irenæ. lib. 2. cap. 2.

3. BASILIVS quidam, primarius Bogomillorum Doctor, Angelos, vel potiùs Dæmones mundum creâsse putabat, circa annum 1080. Contrà Anselmus in Prosologio cap. 5. Mundum à Dæmone creatum.

4. ANGELOS aliquid creare constituebant Petrus Abailardus & Arnoldus Brixiensis, circa annum *1140*. Contrarium probat Petrus Lombard. li. 2. dist. *1*.

5. LVCIFERVM cum dæmonibus suis, cœlo iniuria pulsum, beatitudini cum suis restituendum: Et contrà,

MICHAELEM bonosq; Angelos omnes, æternis cruciatibus deputandos esse, opinabãtur Lolhardi, à Gualtero Lolhardo sic dicti, circa annum Impia & crudelis blasphemia.

1320. Contrà Bonauentura in Sententiar.lib.*2*.dist.6.q.*1*.

6. HERMANVS Risuich asseruit, Angelos, siue boni siue mali sint, à Deo creatos non esse; quòd nusquam hoc Scriptura testetur. circa annum *1500*. Eodem argumento etiam hodie Lutherani & Caluinistæ reiiciunt, quicquid in sacris Scripturis expressè non continetur. Contrà Alphons. de Castro, aduers. hæreses lib. *2*. in verb. Angelus hær. vnica.

7. MENNO Frisius se mundum & Angelos iudicaturũ esse dixit. Idquod etiam Lutherus de sua doctrina, tanquam de puro Dei verbo, iactitare ausus fuit. Hosius Cardinalis lib.*1*. de hæresibus nostri temporis.

Lutheri intolerabilis arrogantia.

VIII.

ANIMA.

Trãsmigratio animarum.

1. SIMON Magus transmigrationẽ animarũ de corpore in corpus docuit. circa annum *50*. Econtrà hominẽ semel tantùm dissolui probat Paul. Hebr.*9*.

2. GNO-

2. GNOSTICI animā Dei ſubſtantiam eſſe dicebant. circa annum *120*. Quod negat Iuſtinus Martyr in Tryphone.

3. VALENTINVS, ſolam animam, non corpus ſaluari aſſeruit. circa annū *145*. contrariū docet Iuſtinus in Apolog.*2*.

4. ANIMAM eſſe corpoream putabat Tertullianus, eamq; per traducem propagari, tametſi eandem fateretur immortalem. circa annum *210*. Contrarium tenet Origenes cōtra Celſum. & lib. *1*. de Principiis. Animarum propagatio per traducem.

5. IDEM animas hominum peſſimas poſt mortem in dæmones verti opinabatur. Quem errorem Origenes refutauit in Prouerb. Salomonis.

6. ORIGENISTÆ dicebāt, animas, poſtquàm peccâſſent ſuperius, in corpora veluti tumulos, pœnæ cauſa, relegatas fuiſſe. circa annum *240*. contrà Clemens in 4. Stromat.

7. MANICHÆI dicebant, animas de ſubſtātia Dei eſſe. circa annum 275. Idem ſentiebant eorum diſcipuli, Fortunatus, Fauſtus, Fœlix, Secundinus, Sicut Gnoſtici num. 2.

Anno

Anno 416. Et Priſcillianiſtæ 483. Contrà Author Iuſtino annexus in reprehenſione 1. Auguſtinus in libro contra Fortunatum. Leo in epiſt. 91. ca. 5.

8. IIDEM, animas hominum & pecorum ſimiles eſſe dicebant, circa annum 420. contrà Auguſtin. lib. de fide aduerſ. Manichæ. ca. 73.

9. PRISCILLIANISTÆ dicebant animas, ob peccatum in cœleſtibus cõmiſſum ad inferiora delapſas, corporibus fuiſſe incluſas, prout in aërias poteſtates duriores, vel mitiores incidiſſent: & fatalibus ſtellis tam corpora, quàm animas hominum aſtringi, circa annum 450. Contrà Leo in Epiſto. 91. cap. 10.

Homines fatalibus ſtellis aſtringi.

10. TNETOPLYCHITÆ hominum animas cum corporibus, inſtar pecudum, interire dicebant, circa annum 638. Contrà Claudianus Mamercus de ſtatu animæ lib. 1. Et Olymprodorus in Eccleſ. cap. 3.

Damaſcen hær. 90.

11. ALBIGENSES ſomniabant nouas animas à Deo nõ infundi, ſed ani-

marum

marum transmigrationem de corpore ad corpus, etiam animalium & serpentum docebant, circa annũ 1200. contrà Gotfrid. Viterbien. 2. part. Chron. Bernhard. Lutzeburg.

12. PETRVS Ioannis, Ioachimi Abbatis discipulus animam rationalem, qua rationalis est, formam esse humani corporis negabat, circa annum 1220. Contrà Concil. Vienen. in Clementinis de summa Trinita. cap. 1.

13. FRATRICELLI dicebant, visionem animarum sanctarum differri vsque ad nouissimum diem, circa annum 1300. Contrà Bonauentura in libro 4. senten. dist. 21. q. 2. f. 3. Ita etiã hodie quidam sentiũt Lutherani.

14. BEGARDI dicebant, animam nõ indigere lumine gloriæ ipsam eleuante ad Deum, circa annum 1310. Contrà Alphar. de Planctu Ecclesiæ li. 2. ca. 52. Apocalyp. 21.

15. FLAGELLANTES asserunt, omnium hominum animas ab initio simul creatas esse in Paradyso, circa annum 1350. Contrà Thomas de Argentina lib. 2. dist. 17.

16. GEOR-

Prateol. lib. 7. cap. 10.

16. GEORGIVS Dauid cum Epicureis dicebat, nō animam, ſed ſolam carnem peccatum contrahere.

Idē lib. 10. cap. 4. Caluinus lib. contra Libertin.

17. LIBERTINI, quos in Gallia Quintiniſtas appellant, animas noſtras nihil eſſe fingunt.

IX.

ANTICHRISTVS.

HEINRICVS Bullingerus, in pręfatione ad homilias ſuas in Apocalypſin, aſſeuerat, nullum olim Antichriſtum inorbem eſſe venturū, præter eum, qui iā in Epiſcopis Romanis aduēnit. Qua de re Lutherus impium edidit librū, in quo debacchatur, Papatū à Diabolo eſſe fundatum. Cōtrà Sanderus in Secta 233. & toto lib. octauo viſibilis Monarchiæ Eccleſiæ.

X.

APOSTOLI.

1. DE SIMONE Mago ſcribit D. Clemens, quòd quædam ſub nomine Apoſtolorum falſò ediderit. circa annum 50. Contrà idem Clemens in conſtitutionibus Apoſt. lib. 6. cap. 16.

2. FE-

2. FELIX dicebat, Apostolũ Christi esse Manichæum, eundemq; Spiritum sanctũ esse. circa annum *410*. Cõtrà August. in lib. de actis cũ Felice Manicheo.

3. IOACHIM Abbas, & Petrus Ioannes asserebant, Apostolos non prædicâsse Euangelium Christi, iuxta spiritualem intelligentiam, sed tantùm secundùm literã. circa annum *1200*. Contrà Alphons. de Castro aduers. hæreses lib. *2*. in loco Apostoli hæres. *1*.

4. PSEVDO quidam Apostoli dicebant, Apostolos nec habuisse, nec recepisse pecuniam, neq; aliquid in crastinum seruâsse; &, quod peius est, docebant, etiam nihil horum Apostolis licuisse. circa annum *1294*. Contrà Alphons. ibidem hæres. *2*.

Nihil licere in crastinũ seruare.

5. QVINTINVS Libertinorum in Gallia sectator, vnumquemq; Apostolorũ aliquo notabat scõmate; Paulum vocabat vas fractũ, Petrum Christi abnegatorem, Ioannem iuuenẽ stultum, Matthæum fœneratorẽ. Vt scribit Caluinus in lib. contra Libertin.

Prateol. lib. 10. cap. 4.

Os hæreticorum impudentissimum.

XI.

AQVA.

1. AVGVSTINVS in lib. de hæreſ. 76. loco, refert quoſdã in ea fuiſſe opinione, quòd dicerent, aquam non eſſe creatam à Deo, ſed eſſe coëternã. Contrà Alphonſ. lib. 2. in titulo de Aqua.

2. AQVARII, teſte D. Auguſtino in lib. de hæreſ. cap. 4. in calicis conſecratione ſolam aquam offerendã eſſe cenſebant, nõ autem vinum, contrà diſt. 2. ca. 1. Thomas in 3. part. quæſt. 74.

Idem docēt etiam hodie Lutherani & Caluiniſtæ.

3. SEIPSOS flagellantes negabant aquã benedictã, qua in Eccleſiis aſpergimur, quicquam habere efficaciæ, circa annum 1350. Contrà Ludolph. de Saxonia, in vita Chriſti cap. 21

XII.

ASTROLOGIA.

Sup. de anima, num. 9.

1. PRISCILLIANVS cum Bardeſane dicebat, homines eſſe fatalibus ſtellis alligatos, & ipſum corpus noſtrũ iuxta duodecim ſigna cœli eſſe compoſitum, circa annum 410. Contra Concilium Braccaracenſe ca. 9.

2. ETH-

2. ETHNOPHRONES Gentilium imitatores, fatũ, Astrologiam, auspicia & veneficia probabant, diesque obseruabant & annos, circa annum 657. contrà Olympiodor. in Eccles. cap. 2. Astrologia.

XIII.

ATHEI.

1. ATHEI sunt, qui nullũ esse Deum credunt, cæci & excordes, quique Dei prouidentiã in rebus humanis tollunt, omnia vtiq; agi fato, animasq; cum corporibus interire arbitrãtur. Prateol. li. 1. c. 77. Ex Theodorito Cyrẽsi Episcopo, li. 6. de curat. Græcarum affectionum. Hæretici cæci & excordes.

2. ATHEORVM alij, velut dissensionũ, quę ob fidem suscipiuntur, nullã omninò partẽ curant, alij mediam conditionem sibi ipsis eligunt, alij magis in hãc, quàm illam partem affecti, tamẽ simulant se religionem amare, quam oderunt; & odisse, quam magis amant. Alij denique apud se constituunt, nullum Deum esse, qui res humanas curet, sed omnia vel fato, vel casu regi. Contrà Sander. Sect. 231. Istorum hodie infinitus est numerus.

3. Ex Euangelicis eſſe aliquos Satanicos ſiue diabolicos, qui vt Catholici, de priſca conſuetudine, Deum vnum, & verum per diem adorant nouies, ita illi ſuum dæmonem Deum decies inuocant, atque colunt. Ex Lindano refert Prateolus lib. 1. cap. 77. Hi Turcis, Iudæis, Mahumetanis, & ipſo adeò Diabolo ſunt peiores.

Satanici ſiue Diabolici.

CLASSIS HÆRESVM SECVNDA.

B.

BAPTISMVS.

1. 1. q. ca. Paulianiſtæ.



ARCITÆ, Paulianiſtæ, & Cataphryges, negabant in nomine Trinitatis baptizandum eſſe. circa tempora Apoſtolorum. Contrà Alphonſ. de Caſtro, aduerſ. hæreſ. lib. 3. in loco Baptiſmus hæreſ. 2.

2. MON-

2. MONTANISTÆ baptizabant mortuos. circa annum *175*. Contrà Victor Papa. in epist. *1*. Sander. Secta *23*. Baptizare mortuos.

3. AGRIPPINVS Cypriani prædecessor statuit, baptizatos ab hæreticis in Ecclesia rebaptizari debere. circa annũ 248. Cõtrà August. de Baptismo contra Donatist. lib. *2*. ca. 7. & *9*.

4. NOVATIANI, vt apparet ex Epist. Cypriani ad Iubiam, rebaptizabãt eos, qui ad ipsos à Catholicis venissent. circa annum *251*. Contrà Dionysius Alexandrinus apud Eusebium, li. 7. ca. 7.

5. ARRIANI etiam rebaptizabant Catholicos ad se venientes. circa annũ *115*. Contrà Cyrillus Hierosolymitan. in præfatione Catecheseon. Rebaptizantes.

6. HILARIVS Diaconus Sectæ Luciferianę post Synodum Ariminen. dixit; Arrianos ad Ecclesiam reuertentes, rebaptizandos esse. circa annũ *366*. Contrà Ambros. lib. *5*. Epist. de tradendis basilicis.

7. SELEVCVS & Hermias Galatarum, negabant baptizandum esse in

In igne baptizandum. aqua, ſed in igne. Auguſtinus in lib. de hæreſib. cap. 59. circa annum 380. Contrà Alphon. aduerſ. hæreſ. lib. 3. in loco Baptiſmus, hær. 1.

Theodoret. hæret. fal. lib. 4. 8. MESSALIANI, Euchitæ, ſiue Enthuſiaſtæ dicebant, Baptiſmum nihil iuuare, neq; excindere peccati radicē; precatione verò aſsidua id fieri, circa annum 389. Sic hodie Proteſtantes dicunt, Baptiſmum nō auferre peccata, nec gratiam dare. Contrà Optat. lib. 5. Hierony. in epiſt. 83. Auguſtin. in Pſal. 73. Sander. Sect. 85.

Proteſtātes Euchytæ.

Aug. contr. liter. Petil. lib. 1. ca. 1. 9. CATHOLICOS rebaptizant Donatiſtę, quoniam putabant Baptiſmum non eſſe, qui dabatur à Catholicis. Aiebant enim, conſcientiam dantis in Baptiſmo attendi. Contrà Auguſt. cōtrà Liter. Petiliani lib. 1. cap. 1.

Conſciētia baptizantis.

10. ETIAMSI non baptizarentur paruuli, Pelagiani tamen promittebāt eis vitam beatam, ſed extra regnum Dei, & tamen baptizandos dicebant non in originalis, ſed propriorum peccatorum remiſſionem, aut regni etiam


Dei,

Dei, non æternæ vitæ causa, circa annum *415*. Dicunt etiam Protestantes, quòd paruuli, absque baptismi Sacramento, vitam æternam, & regnum Dei obtinere possunt; neq; mirum, cùm dicant, Sacramenta Christi gratiam non conferre, quia peccatũ auferatur. Contrà Concil. Mileuitan. ca.*2*. Augustin. de verb. Apostolor. sermo.*14*. Et in episto.*2*8. Sander. Sect.*99*. Protestãtes Pelagiani.

11. IACOBVS Syrus, à quo Iacobitarum secta venit, candenti ferro charactèrem crucis baptizatorum frontibus inurit, quia scriptum sit; Ipse baptizabit vos aqua, & igne. Circa annum *584*. Contrà Claudian. Mamercus Vienen. Galliarum Episcopus, li.*1*. de statu animæ, ca.*1*4. Sander. Sect.*113*. Bernhard. Lutzẽbur. Baptismus ignis.

12. ARMENI, vt ait Guido, dicunt, Baptismum non posse conferri alicui, nisi eidem conferatur etiam Eucharistiæ Sacramentum.

13. ITEM Chrisma esse adeò exactũ ad verum Baptismum perficiendum, vt nisi baptizatus Chrismate vngatur, Chrisma.



non sit baptizatus. circa annum *603*. Harum autem assertionum vtramque esse hæreticam, probat Alphõs. de Castro, lib. *3*. in tit. Baptismus. hær. *6*.

Euthym. part. 2. tit. 21.

14. PAVLICIANI dicebant, Baptismum esse hæc verba: Ego sum aqua viua. Et corporis ac sanguinis Domini esse illa verba: Accipite, comedite, & bibite. Elemẽtum igitur, seu materiam sustulerũt à Sacramentis, totamq; rem ad nudam prædicationem redegerunt. circa annũ *790*. In quo nõ longè ab illorum opinione absunt Caluinistę. Cõtrà Paschasius in lib. de corpore & sãguine Domini. Sanderus Secta *132*.

Caluinistæ Paulitiani.

15. GRÆCI baptizatos à Latinis rebaptizare præsumebãt. circa annum *249*. Contrà Concil. Lateranen. sub Innocentio 3. ca. 4.

16. BOGOMILVS Baptismum nostrum (quia per aquã fit) Ioannis Baptismum esse aiebat: suum verò esse Christi, quia fiat per Spiritum. circa annum *1080*. Caluinistæ dicunt & eum Baptismum, qui ministratur in Ecclesia, esse eũdem

Caluinistæ Bogomili.

cum

cum Ioannis Baptismo. Cõtrà Euthymius part. 2. tit. 23. c. 16. per script. Ioã. 3.

17. PARVVLIS vsu rationis carentibus, eò quòd fidem non haberent, Baptismũ non esse conferendum, dicebãt Petrobrusiani & Heinriciani. circa annum 1140. Cõtrà Bernhard. in epist. 77.

Idem dicũt etiam hodie Anabaptistæ.

18. PSEVDOAPOSTOLICI irridebãt Catholicos, qđ baptizarẽt infantes. circa an. 1150. Cont. Bernhar. in Cant. ser. 66.

19. ALBIGENSES Baptismum omninò reiiciunt. circa annũ 1200. Id quod etiã hodie faciunt quidam Caluinistæ, qui Baptismũ vocant balneum suillũ. Contrà Concilium Lateranense ca. 1.

Staphyl. de concordia Lutheranorum.

20. VVALDENSES dicebãt, Baptismũ aquæ sine sacri olei mixtura esse recipiendũ. circa annũ 133. Contrà Damascenus li. 4. de fide orthodoxa, cap. 10.

Alphons. de Castro li. 3. hoc loco heres. 7.

Sacri olei mixtura.

21. FLAGELLANTES, cùm se ipsos virgis conciderent, interim prædicabant, neminem saluari posse, nisi in sanguine, de suo proprio corpore per flagella excusso, baptizaretur. Nam Baptismum aquę mutatum esse in Baptismum

Baptismus sanguinis.

Trithem. in Chron.

mum ſanguinis, circa annum *1350*. Cõtrà Durand. de S. Portiano li.*4*. diſt.*4*. q.8. Sander. Sect. *165*.

Baptiſmus quibus non ſit neceſſarius.

22. BAPTISMVM nõ eſſe neceſſarium iis paruulis, qui ex fidelibus parentibus gignuntur, docet Caluinus in Antidoto cõtra Concil. Tridentinum. Ait enĩ, ſalutem eſſe promiſſam fidelibus, & eorum ſemini. Contrà Sanderus ad longum, Secta *203*. & *204*.

Sander. ſect. 204.

23. ILLA verba Ioan.*3*.(Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, nõ poteſt introire in regnũ Dei) Caluinus negat ad Baptiſmũ referri. Contrà Cyprian. li.*3*. ad Quirin. art.*25*. Baſilius in lib. de Baptiſmo. Chryſoſt. homil.*24*. in Ioan. Auguſtin. in Tractat.*11*. in Ioan. Cyrill. in Ioann. lib.*2*. cap. *42*. Concil. Trident. ſeſſ.*7*. can.*2*.

24. BVCERVS paruulum non ideò ſaluari ſcribit, quia baptizatus eſt. Multi enim baptizati ſtatim morientes damnantur, & alij nõ baptizati ſaluantur. cõtrà Paulus ad Tit.3. Rom.*5*. Galat.3. & Sander. Secta *204*.

25. BA-

25. BAPTISMVM à Christo in aqua institutũ,& ab Ecclesia receptum nihil differre à Ioannis Baptismo, dicit Caluinus in Antidoto. Contrà Sanderus in dicta Secta 204. quinque differentias colligit. Caluin. in Antidoto.

26. OMNES administrandi Baptismi sacros ritus, ac cęremonias Pseudoeuã-gelici nostri hodie veluti vanas abiiciũt atq; contẽnunt: quia in Scripturis sanctis nõ extent; cùm tamen ab ipsis Apostolorum temporibus hæc in vsu fuisse, ex omnibus omnium Patrum scriptis abunde constet. Quorum testimonia hîc adducit Sanderus in d. Secta 204. De cæremoniis baptismi.

27. ERASMVS Roterodamus in eo fuit errore, quòd infantium baptizatorum ratihabitionem, non semper necessariã esse putaret. Contrà Sanderus ibidem.

28. LVCAS Sternberger sacrum reiicit baptisma, appellãs illud Satanicam institutionem, affirmansq; eos omnes, qui hoc vtuntur lauacro, nõ nisi ad tartarum, & sempiternam damnationem Prateol. lib. 10. ca. 10.

baptizari. Diuinitùs eñ non Baptiſmũ ſed circumciſionẽ eſſe inſtitutam. circa annum *1561*. Contrà Marc. *16*.

II.

BACCHANALIA.

Philaſtr. ASCODROGITÆ vtrem inflatũ ponunt & cooperiunt in ſua Eccleſia, circumeũtes eum, bacchantes ſicut Pagani Libero Patri, nõ intelligentes quod Saluator ait; Nouum vinum in nouos vtres mittendũ. circa annum *170*. Contrà Iuſtin. Martyr in Apolog. *2*.

III.

BEATITVDO.

Alphonſ. de Caſtro, li. 3. in loco beatitudo, hæreſ. 2.

1. CERINTHVS aſſeruit, beatitudinem in carnis delitiis conſiſtere. Aiebat enim, poſt reſurrectionem terrenũ futurum eſſe regnum Christi, & homines in carne concupiſcentiis & libidinibus ſubiectam vitam acturos. circa annum 70. Contrà Rom. *14*. *1*. Cor. *6*. & 15. Galat. 3.

Alphonſ. ibid. hær. 3.

2. ORIGENISTÆ dicunt, nec beatitudinem nec miſeriam eſſe perpetuã. circa

circa annum *240*. Contrà Sapientiæ *3*. Luc. *1*. & Ioan. *15*.

3. IOVINIANVS dicebat; Omnes beatos esse pares in gloria, neq; vllam esse in cœlis præmiorum differētiam: quoniam nullam esse ait meritorum in hac vita disparitatem; sed omnes iustos pares esse asserit in meritis & præmiis: & omnes peccatores pares etiā esse dicit in peccatis, & in pœnis. circa annū 360. Cōtrà Baruch. 3. Luc. 1. Ioan. *14*. *1*. Corinth. *15*. *2*. Cor. *9*. cum similibus. Idē hær. *7*. Beatos omnes in gloria esse pares.

4. ARMENII asserebant, Beatos ante diem iudicij Deum non videre. circa annum *603*. Contrà Gregor. in Iob lib. 12. cap. 14. Quod etiā pleriq; putant Lutherani.

5. DOCENT etiam, nullam animam ante diem iudicij esse beatā: quoniam, vt aiunt, nulla anima ante illum diem videt Deum. Eodem tempore. Contrà Luc. *23*. 2. Corinth. 5. Philippen. *1*. Apocal. *6*. Alphon. hic hæres. 6.

6. BEGARDI putabant, hominem posse perfectam beatitudinem in hac vita consequi, sicut in futura. circa Beatitudo in hac vita.

annum

annum *1310*. Contrà Aluar. de planctu Ecclesiæ lib.2.ca.52. Matth.*11*. 1.Cor.*3*. & Philip.*1*.Sander.Sect.*160*.

6. PRÆTEREA Begardi & Beguini docent, omnem intellectualem natúram seipsa naturaliter esse beatam. Eodem tempore. Contrà Concil. Vienen. Rom.3.*6*.& *9*. Marc.10.&*19*.

IIII.

BELLVM.

1. LEX MANICHÆORVM reprehēdit Moysen, quòd bella gesserit, cùm esset Própheta, quodq́ue crudelia mul-
Sanderus Secta 98. ta & mandârit, & fecerit. Circa annum 4*10*. Nonne etiam hodie protestantes reprehendunt Pontificem Romanum, quòd bellum interdum, vel aduersùs externos hostes Christianorum, vel aduersùs hęreticos, Ecclesię inimicos, vel ipse per suos ministros gerit, vel aliis ge renda persuadet? Contrà Augustin. aduers. Faust. Manichæum lib.22.cap.74. 76.&77.

2.NON

2. Non esse aduersùs Turcas prę-liandum voluit Martinus Lutherus. Quoniam, vt dicit, est repugnare volũ-tati Dei visitanti & corrigenti iniqui-tates nostras per illos. Contrà Roffen-sis in Art. 34. contra Lutherum. Alphon. lib. 4. in loco. Bellum. hæresi.

V.

BENEDICTIO.

Omnes benedictiones, quas Eccle-sia facit, aut dicit, super vinum, panem, aquam, oleum, sal, ceram, incensum, arbores oliuarum & palmarum, vesti-menta, calices, aut alias quascunq; res, ad vsum Ecclesiasticarum rerum neces-sarias, impij VValdenses, pro sua solita VValdensiũ impietas. temeritate, & impietate irridẽt, & sub-sannant; dicẽtes illas omnes nullius esse momenti. Hos imitantur VVicleflstæ, qui (vt parentum suorum insaniam au-gerent) dicunt, tales benedictiones esse Benedictiones Ecclesiasticas esse Necromantię practicã. veram practicam Necromantiæ po-tiùs, quàm sacrę Theologię: tantum ab-est vt illas alicuius virtutis esse credant, circa annum *1180.* & *1394*. Cont. Alph.

in

in titulo Aqua, hæreſ.*2.* & in titulo Exorciſmus.

VI.

BESTIAE, BRVTA.

Alphonſ. de Caſtro, eodem. tit. hęreſ. vnica.

BESTIAS omnes rationis eſſe capaces, omniaq; bruta animalia ęquè vt hominem, non ſolùm ſentire, verùm etiam intelligere dicebant Gnoſtici. circa annum *120.* Contrà Iuſtinus in quęſtionum à Gentibus propoſitarum explicatione *126.* & *128.* Pſal.*31.*& 43.

VII.

BIBLIA.

Staphil de Lutheranorum concordia.

BIBLIISTÆ dicebant, nihil proponendum, vel in Eccleſia populo, vel in Scholis iuuentuti, præter Biblia; nec diſcendas eſſe vllas Philoſophiæ artes. Hinc Carolſtadius factus eſt agricola, Melanchton verò piſtoriam artē meditabatur. Ludi etiam literarum per biennium in quibuſdā Germaniæ partibus occluſi ſunt. Hoc ſeculo noſtro. Contrà Sander. Sect.*191.*

Stulta ſtultorum ſtultiſsima.

VIII.

BONVM.

1. PSEV-

1. PSEVDOAPOSTOLI quidã affirmabant Paulum dicere; Faciamus mala, vt veniant bona. circa annum 60. Contrà Paulus Rom.*3*. Rom. 3.

2. ANTE aduentum Christi nõ fuisse aliquos bonos dicebant Albigen. circa annum *1200*. Contrà Concil. Lateranen. can. *1*.

CLASSIS HÆRESVM TERTIA.

C.

CHAOS.



ALENTINVS asseruit, quoddam Chaos ab initio in mundo fuisse, quod profundum & silẽtium dixit. Inde processisse intellectũ & veritatẽ, atq; ita deinceps vsq; ad triginta æonũ fœtus. circa annum 145. Contrà Iustinus Martyr in Tryphone. Irenæ. lib. 1. cap. 1.

II.

II.

CALICES.

DONATISTÆ fregerunt Calices, & paſſim vendiderunt, circa annum 400. Hoc idem faciunt Lutherani, & Caluiniſtæ.

III.

CANTVS ECCLESIASTICVS.

1. PAVLVS Samoſatenus Pſalmos & cantus in honorem Chriſti, tanquam à viris recentioris memoriæ editos, exploſit. Circa annum. *265*. Sic Lutherani

Lutherani & Zuingliani ſūt, Samoſateni.

„ & Zuingliani horum temporum Pſal-
„ mos cantuſque à Patribus compoſitos,
„ velut à viris recentioris memoriæ edi-
„ tos, exploſerunt. Contrà hic error in Concilio Antiochię celebrato damnatus eſt, vt teſtatur Euſebius libro 7. ca. *23*. & *24*.

2. HILARIVS Laicus Catholicus aſſerebat, nō oportere fieri, quod tunc apud Carthaginem fieri cœperat, vt hymni ad altare dicerentur de Pſalmorum libro, ſiue ante oblationem, ſiue dum

dum distribueretur populo, quod fuisset oblatum. circa annum 400. Ac nec hodie quidem Protestantes cessant reprehendere cantica Ecclesiastica, quæ Catholici à Maioribus etiam accepta, dum oblatio celebratur, solenni ritu canunt. Contrà, huic Hilario D. Augustin. lib. 2. retractationum cap. 11. fatetur se respondisse.

"Protestantes reiiciunt Cantica Ecclesiastica."

3. DONATISTÆ reprehendebant Catholicos, quòd diuina Cantica Prophetarum in Ecclesia psallerent. circa annum 400. Eodem modo Protestantes reprehendunt Catholicorum psallendi morem & institutum. Cōtrà Augustin. Epist. 119. ca. 18.

"Protestantes Donatistæ."

4. HVNC errorem suscitârūt VValdenses, qui dixerunt, frustra tempus teri in cantibus Ecclesiasticis. Hos postmodùm secutus est Ioannes VVicleff Anglus, qui adeò cantibus Ecclesiasticis detraxit, vt cantantes in Ecclesia vocauerit sacerdotes Baal, quoniam sic clamârent, ac si Deus dormiens eos non audiret, & eorum vocibus esset

Inimici cantus Ecclesiastici.

Alphon. lib. 4. titulo Cātus hæres. vnica. excitandus. circa annum *1180.* & *1394.* Geraseni Christi pręsentiam ferre non poterāt, isti peiores Gerasenis; nec laudationem Christi sustinere possunt. Contrà Psalm. 19. Matth. *27.* Ioan. *11.* Esai. *6.* vbi duo Seraphin adinuicē clamabant; Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.

IIII.

CARO.

1. TATIANVS (præter Valētini hæresim) & nuptias, & carnium commestionem damnauit. circa annum *165.* Contrà Irenæ. lib. *1.* cap. 30.

2. EVTICHIANI quoq; carnibus vesci detestabantur. circa annum *328.* Cōtrà Concilium Gangrense ca. *1.*

3. PATRICIANI carnem non à Deo, sed à Diabolo conditam dicunt; vnde quidam eorum mortem sibi intulerūt, vt carerent carne. circa annum *255.* Contrà Gregor. Nyssenus in Oratione de dormientibus. Augustin. hæres. 6.

V.

COELVM.

1. BA-

1. BASILIDES dicebat trecentos & sexaginta quinque cœlos esse. circa annum 110. Contrà Ignatius in Epist. ad Trallianos.

2. PESSIMOS homines, atque adeò Diabolum & Angelos eius, post lõgissima tempora, cœlo reddendos opinabantur Origenistæ. circa annum 223. Contrà Presbyteri & Diaconi Romæ consistentes ad Cyprianum lib. 2. Epistola 7. Diabolum saluãdum.

3. IOVINIANVS asseruit, in regno cœlorum par omnium fore præmium. circa annum 360. suprà de Beatitudine num. 3. Hieron. in li. 2. aduers. Iouinia.

VI.

COELIBATVS.

VIGILANTIVS impugnabat cleri cœlibatum, adeò vt Episcopi, sceleris Vigilantij consortes, non ordinarent Diaconos, nisi priùs vxores duxissent. Et hoc quidem illi faciebant more cæterarum Ecclesiarum, Asiæ, & Græciæ, in quibus cùm post sacros ordines

acceptos, vxorem ducere fas non esset, priùs ducebant, vt posteà illius consuetudine vti possent. circa annum 410.

Protestátes imitatores Vigilantij.

» NOSTRI ergo Protestantes eatenùs » sunt imitatores Vigilantij, vt velint eti- » am in Occidentali Ecclesia coniuga- » tos fieri presbyteros: eatenùs verò pe- » iores, quòd & Presbyteros posteà quo- » que vxorem ducere volunt, nec vnam » modò, sed & secundam, & tertiam, & » non minùs viduam, quàm virginem. » Quod nunquam ante hæc tempora in » Ecclesia est vel fando auditum. Contrà Ambros. de Officiis lib. 1. ca. 50. Hiero: cõtra Vigilantium. Augustin. de adulterinis coniugiis lib. 2. cap. 20.

VII.

CEREI.

Lutherani & Caluinistæ sunt Vigilantij sectatores.

VIGILANTIVS reprehendebat, quòd sole adhuc fulgente Catholici moles cereorum ad memorias Martyrum accendebant. circa annum 410. » Hoc & Lutherani & Caluinistæ in nobis

bis reprehendunt. Contrà Hieronym. »
aduersùs Vigilantium.

VIII.

CEREMONIAE.

1. OMNES Ecclesiasticas institutiones ridebãt Petrobrusiani. Anno 1140. Contrà Bernhardus in Cantica Sermo. *66.*

2. ADIAPHORISTÆ dicunt, ceremonias esse res indifferentes, quas siue serues, siue violes, nihil te peccare. Cõtrà Sanderus in Sec. *226.*

IX.

CHRISMA.

1. NOVATIANI iis, qui ab ipsis tinguntur, sacrum Chrisma non præbent. circa annum *251.* Contrà. Idcirco eos, qui ex hac hæresi corpori Ecclesię iunguntur, benedicti Patres vngi iusserũt. Et auctor operũ, quæ Cypriano adscripta sunt in titulo de vnctione Chrismatis.

2. DONATISTARVM Episcopi ampullam Chrismatis, per fenestram, vt

frangerent, iactauerunt. circa annum 400. Similiter se fecisse, nec ipsi Caluinistæ negauerunt. Contrà Optat. li. 2.

3. PETROBRVSIANI Chrismatis & olei consecrationes ridebant. circa annum *1140.* Contrà Rupert. de diuinis officiis lib. 5. cap. *16.*

X.

CHRISTVS.

Irenæ. lib. 1. cap. 25. *1.* CERINTHO impossibile visum est, vt Iesus ex virgine nasceretur. Ideò dicebat, Christum esse nudum hominem ex Ioseph natū. circa annum 70. Contrà Luc. *1.* & *3.*

Epiphan. hær. 28. 2. NEGABAT etiam Christum resurrexisse: & si qui ex discipulis eius, ante Baptismum moriebantur, alios in nomine mortuorum baptizabat. circa annum 70. Contrà 1. Corint. 15. & Epiphan. hær. 28.

Irenæ. lib. 1. cap. 26. 3. EBIONEI cum Cerintho (quoad doctrinam de Christo) sentiētes, Christum aiebant nudum hominem fuisse, & ex Ioseph natum: & alium esse IESVM,

SVM, alium verò Christum. circa annum 80. Contra has hæreses D. Ioannes, rogatus ab Asiæ Episcopis, suū Euangelium scripsit.

4. BASILIDES dicebat, non Christum, sed Simonē Cyreneū crucifixū fuisse. circa annum *110*. Contrà Ignatius in Epistola ad Trallian. itē ad Tarsenses, Et Castor Agrippa Basilidem scriptis confutauit. Irenæ. lib. 1. cap. 23.

5. CARPOCRATES dicebat, IESVM è Ioseph natum. Circa annum *120*. Contrà Ignatius in Epistola ad Philippenses. Irenæ. lib. 1. cap. 24.

6. CERDON & Marcion Christum dixerunt in phantasmate & natum & passum. circa annum *140*. Contrà Irenæus lib. 3. cap. 3.

7. VALENTINVS asseruit Christum de cœlo carnem detulisse, non de Maria accepisse. circa annum *145*. Contrà Iustin. in Tryphone in illud Esaiæ 7. Dominus ipse signum dabit.

8. BASSVS dixit, non sperari salutem, neq; in Christi Maiestate, neque

in eius præsentia corporali. circa annum 150. Hunc errorem longo posteà tempore suscitauit Petrus Abailardus, qui dixit, non ideò filium Dei fuisse incarnatum, vt hominem liberaret. Cōtrà Alphonſ. de Castro lib. 4. in titulo Christus, hæreſ. 8.

Tertull. de præscript. 9. APPELLES Marcionis discipulus Christum dicebat ipso descensũ aëream sibi carnem contexuisse, eandemque singulis elementis in ascensu reddidisse. circa annum 170. Contrà Soter Papa in Epist. ad Episcopos Cãpaniæ.

Montanistæ à Phrygia sic dicti. 10. CATAPHRYGES secundùm Æschinem, dicebant, Christum ipsum esse Filium & Patrem; quos Praxeus & Victorinus secuti sunt. circa annũ 175. Clemens in 5. Stromat.

Euseb. lib. 5. cap. 27. Tertull. de præscript. 11. THEODOTI duo erãt, Prior cum Artemone & Asclepiodato dixit; Christum esse hominem tantummodò. Posterior & hæc dixit, & prætereà illum esse Melchisedecho inferiorem. Hinc Melchisedechiani. Melchisedechiani, qui Melchisedech

Spi-

Spiritum ſanctum fuiſſe opinabantur. circa annum 190. Cōtrà Liber, qui nomen Auctoris inſcriptum non habebat, contra Artemonis & aliorum hæreſim. Vt eſt ap Euſeb lib. 5. cap. 27.

12. BERYLLVS Boſtrorum Arabiæ Epiſcopus aſſeruit, Chriſtum ante incarnationem nō habuiſſe propriam ex ſe diuinitatem, ſed ſolam Patris in eo extitiſſe. circa annum 214. Cōtrà Origenes hunc hominem cōfutauit, & ad ſanam de Chriſti diuinitate doctrinā, quam olim tenuiſſet, reſtituit. Euſeb. lib. 6. cap. 26.

13. CHRISTVM pro dęmonibus paſſum fuiſſe, ſomniabant Origeniſtę. circa annum 240. Contrà Tertullian. aduerſ. Marcion. lib. 4.

14. HIERARCHAS vnigeniti ex Patre natiuitatem comparauit vnius lucernæ duobus luminibus, aut lychno in duas partes diuiſo, tanquam eſſet ſubſtantia exterior, quæ, velut oleum, aut alia quæpiam media materies, lumen ex ſe vtrunque protenderet. circa Vt eſt apud Hilar. lib. 4. cap. 6.

annum 270. Contrà Hilarius libro 6. de Trinitate, & Sixtus secundus in epistola 1.

15. PAVLVS Samosatenus Christum dicebat, communi solùm hominis natura præditum, nec aliud quicquam fuisse. circa annum 265. Contrà Cõcilium Antiochen. cuius sententiam refert Sanderus Sect.53.

Euseb. li. 7. cap. 25. 16. MANES Persa (vnde Manichæi) duodecim sibi Apostolos adiungens, & in orbem mittens, Christum volebat simulare, cùm tamen Christianus nunquam fuisset, sed tantùm Catechumenus. circa annum 275. Cõtrà Cyrillus Catechesi 6. & Epiphan. hær. 66.

Hilarius de Trinitate lib. 6. 17. IDEM dixit, Filium esse Patrem vnius substantię Patris; & id Filium voluit intelligi, quod ex Dei substantia parte aliqua deductum apparuerit in carne. Eodem tempore. Cõtrà Hilar. de Trinitate lib. 6.

18. CHRISTVM non fuisse in carne vera, sed mortem ac resurrectionem similiter esse mentitum, blasphemabãt

Ma-

Manichæi. circa annum 275. Contrà Eutichianus Papa in Epist. ad Ioan. & Episcopos Bæticæ.

19. ARRIANI Christum carnem sine anima suscepisse dicebãt. circa annum 315. Contrà Athanas. tom. 3. de Incarnatione Christi.

20. CHRISTVM esse Dei virtutem, sicuti Moyses locustam & erucam dixit esse magnam Dei virtutem, scripsit Asterius Sophista, qui posteà in persecutione sacrificauit Idolis. circa annum 330. Contrà Cyrillus Hierosolymitan. Catechesi 4. Socrat. li. 1. cap. 24.

21. EVPHRATAS Coloniorum Pseudopræsul, Christum negabat Deum. Eodẽ tempore. Cõtrà Seruatius Tungrorũ Episcopus in Cõcil. Colonien. In Synod. Agrippinẽ. 70. c. Cõcil.

22. ARRIANI seu Acatiani Filium Patri similẽ, non tamen consubstantialem dicebãt. Vnde apud Seleuciã Isauriæ ita decretũ est: Coëssentialis vocem reiicimus; dissimilitudinẽ detestamur; similitudinẽ verò Filij ad Patrem clarè confitemur. circa annum 350. Contrà Atha- Epiphan. hær. 73.

Athanasius in libro de Synodis Arimini & Seleuciæ.

23. METANGISMONITÆ dicebant, Filium in Patre sic esse, vt vas minus in maiore. circa annum 350. Contrà Phylaster Brixiensis Episcopus in Catalogo hæreseωn.

Epiphan. hær. 71.

24. PHOTINVS Syrmij (quod oppidum in Illyrico est) Episcopus, temporibus Constantini asseruit, Christum ante Mariam non fuisse. circa annum 350. Contrà Hilar. in lib. de Synodis.

Basil. lib 1. contra Eunomium.

25. AETIVS Syrus, vnigenitum Filium alterius esse substantiæ, quàm sit Pater, primus asseruit. circa annũ 363. Contrà Athanas. in lib. de Synodis.

Basil. de Spiritu sancto, cap. 2.

26. IDEM primus dixit, ea quæ secũdùm naturam dissimilia sunt, dissimiliter proferri. Vnde illa Apostoli verba: Ex quo omnia; referebat ad Patrem: illa verò; Per quem, ad Filium Patri dissimilem. circa idem tempus. Contrà Basil. de Spiritu sancto cap. 4. & 5.

Sanderus Sect. 63.

Ruffin. Eccles. hist. lib. 10. ca. 25.

27. EVNOMIVS latiùs asserebat, Filium per omnia dissimilem Patri. circa

annum

annum 363. Contrà Basilius lib. 1. aduers. Eunom.

28. BONOSVS Episcopus dicebat, Christum Dei Filium adoptiuum esse, nō autem naturalem. circa annum 358. Contrà Hilar. lib 6. de Trinitate, tractans hæc verba Euangelij; Hic est Filius meus.

29. IVLIANVS Christi statuā apud Cæsaream Philippi à muliere, quę sanguinis profluuio laborabat, erectā deturbauit, suamque eius loco posuit. Id temporis Gētiles Christi statuam cum violentia trahentes confregerunt. circa annum 362. Hoc idem in Anglia tēpore Schismatis sub Edouardo VI. passim fieri visum est, vt remota Christi statua, eius loco regia insignia proponerentur. Contrà Sozomen. libro 5. cap. 20.

Sozomen. li. 5. ca. 20.

Angli Iuliani Sectatores.

30. APPOLLINARIS dicebat, Christum suscepisse carnē, sine anima, Tandem Euangelicis testimoniis victus, dixit, ipsum verbū in Christo fuisse pro mente, qua rationalis est anima hominis.

Augustin. hæres. 55.

nis. Eundem errorem ſectatus eſt Timotheus.circa annum *380*.Contrà Damaſus in Epiſtola ad Orientales, apud Theodoret.lib.*5*.cap.10.

Theodoret. lib.4.hæret. fabular. *31.* POLEMIVS dixit, commixtionem diuinitatis & corporis factam eſſe. Eodem tempore. Contrà in Symbolo Athanaſij; Perfectus Deus, perfectus homo.

32. SALVATOREM in carne ad dexteram Patris nō ſedere, ſed eam exuiſſe affirmârunt Seleucius & Hermas. Eodem tempore. Contrà Damaſus Papa ad Paulin. Theſſalo. Theodoret. lib.5.cap.*11*.

Auguſtin. hær. 60. *33.* PROCLIANITÆ, præter Seleucianam hæreſim, negârunt Chriſtum in carne veniſſe. circa annum *382*. Cōtrà Gregor. Nyſſen. de ſancto Baptiſmate.

34. MANICHÆI negabant Chriſtum eſſe natum, aut in Euangelio vſquam ſe natum ex hominibus dicere. circa annum 410. Contrà Auguſtin. in lib.2.aduerſ.Fauſt.cap.*2*.

35. AIVNT

35. AIVNT præterea, caput primum Lucæ, & Matthæi dissentire. Contrà August. ibidem.

36. ILLVD denique, Quòd Filius Dei sit natus ex semine Dauid, secundùm carnem, Pauli non esse, sed falsatum dicunt. Tempore quo suprà. circa annum videlicet 4*10*. Et in hoc imitãtur Faustum Caluinistæ. Nam Beza in suis Annotationibus in cap. 22. Lucæ, falsatum vult esse quòd ibi dicitur: Calicem hunc (videlicet Eucharistiæ) fusum esse in remissionem peccatorum. Contrà Augustin. aduersùs Faustum, lib. *10*. cap. 2. Caluinistæ Manichæi.

37. IN SACRIS Scripturis se nullas de Christo inuenisse prophetias dicebat Faustus Manichæus. circa annum 4*10*. Hoc idem de Sacrificio Missæ, & de operum Iustificatione, cæterisque fidei Articulis Protestantes dicunt. Contrà Augustin. aduersùs eundem, libro *16*. capit. *14*. Sanderus Secta 98. Protestãtes Manichæi.

38. VIRTVTE Spiritus terram concipiētem credimus gignere patibilem IESVM omni ſuſpenſum ex ligno dicebant Manichæi. Contrà Auguſtin. aduerſ. Fauſtum, lib. 2. cap. 11.

39. CHRISTVM & humanæ conditionis affectus, & mortem ſimulâſſe dicunt Manichæi. Eodem temp. Contrà Auguſtin. aduerſ. Fauſtum, lib. 23. cap. 9. & 10.

Auguſtin. hæreſ. 89.

40. NESTORIVS Chriſtum hominem tantùm in vtero Virginis de Spiritu ſancto fuiſſe conceptum: ſed poſteà Deum homini fuiſſe permixtum, nec Deum hominem paſſum ſepultumq; dicebat. circa annum 427. Cōtrà Concilium Epheſinum & Auguſt. hæreſ. 89.

Tom 2. Cōcil. in Synodo 5. & apud Ioan. Maxētiū in Catholicæ fidei confeſſione, & in dialog. cōtra Neſtor.

41. THEODORVS Mopſueſtenus dum impiè negat Deum (hoc eſt, Dei Filium) de Virgine natum eſſe, nec tamen negaret, aut Filium Dei eſſe conſubſtantialem Patri, aut verum hominem aſſumpſiſſe ex Virgine, quaternitatem pro Trinitate impiè dogmatizauit,

zauit, vt & cæteri Nestoriani, & Anastasius Imperator, qui posteà eandem hæresim propagâsse traditur. Dum em̃ vni Christo duæ personæ tribuuntur, fit quaternitas. circa annum 430. Contrà Proclus Constantinopolitanus Episcopus (Armenis id ab eo petentibus) Theodori blasphemias confutauit.

42. EVTYCHES Constãtinopolitanæ Ecclesiæ presbyter & Monachus dicebat, ante inhumanationem Christi, duas naturas esse, diuinitatis, & humanitatis; post humanitatem verò vnam naturam factã. circa annum 443. Contrà Leo in epist. 10. ad Flauian. & Theodoret. in Dialog. 2.

Flauian. Archiepiscopus Constã-tinopolita. in Epist. ad Leon. Papã.

43. IDEM de carne Christi dicebat, Corpus Domini, quod ex Maria factũ est, non esse nostræ substantiæ, neque humanæ conspersionis, sed humanum quidem illud vocat, non tamen nobis consubstantiale, neque Genitrici eius, secundùm carnem. Contrà Leo ibid. ca. 2. 4. & 5. Euagrius lib. 2. cap. 4.

Flauian. ibidem.

Theodoret. hæret. fabul. li 4. ca. vlt. 44. De Christi verò diuinitate fabulabatur, Verbũ immutabiliter conuersum per virginem solùm traiecisse, cruciq; appensam Vnigeniti diuinitatem, & eam sepulchro mandatam resurrexisse. Eodem tempore. Contrà Theodoret. in Dialog. 3. Vigilius Tridentin. lib. 4. contra Eutychen.

45. Priscillianistæ Vnigenitum, ideò volebant dici Filium Dei, quòd solus esset natus ex Virgine. circa annũ 450. Contrà Leo in epist. 91. ca. 3. & Cõcil. Braccara. ca. 5.

46. Natalem Christi nõ verè honorabant, ieiunantes in eo sicut & Dominico die; idque quoniam cum Marcione & Manichæo Christum non putabant verum hominem. Eodem tempore. Contrà Leo ibid. ca. 4.

Niceph. lib. 18. ca. 45. 47. Acephali Eutychianam hæresim defendũt, hoc est, vnam in Christo naturã. Ideò sic dicti, quòd Episcopis subesse nollent. circa annum 515. „ Quales hodie sunt Protestãtes. Contrà Ioan. Maxentius cõtra Acephalos elegantem

gantem libellum scripsit. Item Hierosolymitani, Antiocheni, & secũdæ Syriæ Clerici in supplicatione ad Iustin. Imperatorem porrecta. Vigilius etiam Episcopus Roma. Constantinopoli agens. Fulgent. in sermo. de Cõfessorib. Et Leontius Byzantius, vt Euthym. testatur in *2*. part. Panopliæ tit. *15*.

48. HI ETIAM dicebant, Christi corpore & animo apud inferos relicto, eum ascendisse in cœlos, cum sola diuinitate. Contrà Vigilius lib. *2*. aduersùs Eutychen.

49. APHTARTODOCITÆ (ramusculus quidam Eutychis) asserebãt, Christi corpus ab ipsa cõceptione nulli obnoxiũ fuisse internecioni, neq; affectionũ illarũ, quæ naturaliter absq; vlla reprehensione insitæ sunt, particeps fuisse: cuius hęreseos duces Iulianus Halicarnasseus, & Gaianus Alexandrinus fuerunt. circa annum 555. Eandem verò „ hæresim Iustinianus edicto promulga- „ re in animo habuit. Contrà Fulgen- „ tius in sermone de duplici Natiuitate

Damascen. in lib. de cẽtum hæresibus.

Euagri. li. 4. ca. 38.

 Christi,

Christi. Et Anastasius Antiochiæ Patriarcha per literas suas Iustiniano cōtradixit.

50. MONOPHYSITÆ Eutychianorum portio, vnam compositam naturam in Christo statuunt; ex diuinitate videlicet, atque ex humanitate. circa annum 560. Contrà Cassiodorus in fine Psalmi 107. & in conclusione Psal. 138. & Gregor. Magn. lib. 10. epist. 55.

Hanc heresi. Phylast. antea pdidit, sed sub nullo certo auctore.

51. NOVI QVIDAM Origenistæ, Georg. Presbyter & Theodor. diaconus dixerunt, Christum ad inferos descendentem, omnes, qui illic confiterentur eum Deum, saluâsse, atq; à pœnis debitis liberâsse. circa annum 596. Contrà Gregor. lib. 6. Indict. 15. Epistola 15.

Damascen. hær. 99.

52. MONOTHELITÆ vnam voluntatem, vnamque actionem & operationem in Christo ponebant. circa annum 630. Contrà Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus & Martin. Papa in Concilio Romano. Ac eandem hæresim

ſim Synod. V I. Conſtantinopoli cele-
brata damnauit.

53. MAHOMET (quem Ioann. Da-
maſcenus Mamedium appellat) Chri-
ſtum eſſe Verbum Dei & Spiritum,ſed
creatum & ſeruum docuit. circa an-
num 640. Contrà Concil. Toletan. 4.
ca.1.

54. CHRISTVM, quem à Maria ſine
ſemine generatum fatetur, in crucem
à Iudæis actum eſſe negat. Contrà di-
ctum Concilium Toletan. ca.4.

55. FELIX Vrgelitanus, & Eliphan-
dus Toletanus, Epiſcopi, dicebāt Chri-
ſtum, ſecundùm humanam ipſius na-
turam, eſſe adoptiuum,& non propriū
Dei filium. circa annum *790.* Itaq; ne-
ceſſe eſt, vt iſti fuerint Neſtoriani, duaſ-
que vnius filij Dei perſonas conſtitue-
rint, vnam,ſecundùm diuinitatem, &
alteram,ſecūdùm humanitatem. Con-
trà Paulinus Aquileien. in lib. aduer-
sùs Felicem Vrgelitanum. Adrian.Pa-
pa in epiſt.ad Epiſcopos Galatiæ, de er-

Ionas Aurelianus de cultu imag.

rore Eliphādi Toletani Episcopi. Ado Vienen. in Chron.

56. SPIRITVM timoris Domini negabant fuisse in Dño Petrus Abailard. & Arnold. Brixiensis. circa annū *1140.* Contrà Petrus Lombard. lib. *3.* dist. 34.

57. HÆRETICI de Barulo dicunt, Christūm assumpsisse corpus cœleste, non carnem de Virgine. circa annum *1187.* Contrà Cōcil. Lateranen. sub Innocent. III. ca. *1.*

Antonin. 4. part. summæ tit. 11. ca. 7.

58. ALBIGENSES dicūt, Christum nec fuisse Deum verum, nec verum hominem. circa annum *1200.* Contrà Cōcil. Lateranen. ca. 1.

In appendice Vrspergen.

59. IMPIVS Bertoldus de Rorbach Begardus, dicebat; Christum in sua passione sic derelictum, vt præ dolore dubitauerit de salute. circa annum *1365.* Quem errorem etiam amplexi sunt Brentius in Lucam, par. *2.* homil. *65.* Et Caluinus in Harmonia Euāgelica, qui dicunt; Christum in cruce desperâsse. Contrà Thomas de Argētina in 3. Sent. distinct. *15.* artic. 1.

60. OSIAN-

60. OSIANDER docuit, Christum esse Iustificatorem humani generis, secundùm solam diuinã ipsius naturã, exclusa humana. circa annum 1534. Contrà *1.*Tim.2. Ephes.5. Sander. Sect.138.

61. AFFIRMAVIT etiam, Christum, iuxta vtramq; naturã, quemadmodùm in vtero matris fuit, eandem esse imaginem ad quam, vel secundùm quàm primus homo conditus sit. Contrà Genes.*1.* Rom.8. & *1.*Cor.15.

62. STANCARVS eodem tempore docuit, Christum esse Iustificatorem nostrum secũdùm solam humanã naturã, exclusa diuina. Eod. tempore. Contrà Rom.2. & 8. Cõcil. Tridẽt. Sess.*6.*ca.7. Staphil. de concord. Luth.

63. ANDREAS Musculus docuit, Diuinam Christi naturam, vnà cum humana in cruce mortuã esse. Eodem tempore. Contrà Paulus ad Philipp.2. Malach.3. Psal.*101.*

64. DEVM non tantũ secundùm humanam naturam, sed etiam diuinam, pro nobis passum esse & mortuum, docent Lutherani. Quia quod vni naturę

Staph. in re- proprium est, hoc communicetur al-
spon. ad ma- teri, propter inseparabilem cohæren-
ledicen. An- tiam. Quam doctrinam ex ore Lutheri
dreæ Mu- bona fide exceptam Musculus euulga-
sculi. uit. circa annum *1537*. Contrà Sander. Secta *188*. §. licet eadem.

In libro de dup. stat. Christi art. 17. & 18. 69. SCHVVENCKFELDIVS docuit, Christi corpus in cœlos assumptũ planè Deum esse factum: & ita in cœna Domini adesse quidem corpus Domini, sed quod iam sit diuina essentia. circa annum 1555. Contrà Rom. 8. Act. 1. Matth. *26*. Luc. *22*.

In 3. vnion. Euangelicæ parte. 70. MOLINÆVS negat Christum, clauso Virginis vtero, natum esse. circa annum 1 5 *60*. Contrà Sander. in Sect. *219*. per multa Scripturæ loca. Estque hæresis ista in persona Iouiniani, ante annos mille & penè ducentos condemnata.

Ioan. 20. 71. EODEM pertinet, quod Caluinistę passim negant, Christum intrâsse ad discipulos per ianuas clausas. circa annum *1561*.

72. NAM

72. NAM Caluinus putat, Christum sua virtute patefecisse ianuam, sibique credere iussisse. In Instit. ca. 8. §. 26.

73. PETRVS Martyr addit, fortè nō per ianuas, sed aliunde Dominum posse dici ingressum.

74. BRENTIVS ex ista re asserit, corpus Christi post resurrectionem fuisse incircumscriptum & vbique: ac ob id ibi discipulis apparuisse. Contrà Hilar. lib. *3.* de Trinita. Ambrosius in Lucam lib. *10.* cap. *24.* Augusti. in lib. de Agon. Christ. ca. *24.* Chrysost. homil. de Ioan. Baptist. Hieron. lib. *1.* in Iouinian. Cyrillus lib. *12.* in Ioan. ca. 53. Vbiquitas.

75. QVIDAM etiam Sacramentarij non credunt, Christi corpus, clauso tumulo, verùm tunc demum surrexisse, quando Angelus Domini reuoluit saxum à monumento. circa annum *1561.* Contrà Hieron. ad Hedibiam. quęst. *6.* Augustin. de tempore. sermo. 1*30.*

76. MOLINÆVS in Annotationibus ad vnionem Euangelistarum: Errāt, inquit, Monachi, & sacrificuli, Do-

ctoresque Papistici, vrgentes merita tum incarnationis, tum natiuitatis, tũ tentationum, & afflictionum Christi. Nihil hæc omnia proderãt nobis, nihil poterant; sed sola mors Christi, sola à Deo accepta pro expiatione nostrorũ peccatorum, & iure vitæ æternæ. circa annũ *1563*. Contrà Isaias ca. *9*. *2*. Cor.8. 1.Ioan.4. Galat.4. Hebræ.*2*. Augustin. in Psal.90.

77. SEPVLCHRIALES negant, Christũ in anima descendisse ad inferos, seu ad lymbum Patrum, sed tãtùm corpore in sepulchro quieuisse. circa annum *1563*. Vnde inferos interpretãtur sepulchrũ. Contrà in Symbolo Apostolorũ. Ignatius in epist. ad Trallian. quę est 2. apud Athanas. in Symb. Ariminen. & Epiphan. in hær. *60*. in ca.2. Act. & August. in epist. *57*. & in epist. *99*.

78. INFERNALES aiũt, Christum descendisse vsq; ad locum, vel statum damnatorum, & ibi æternos cruciatus in anima perpessum esse, id quod senserunt Caluinus, Nicolaus Gallus, & Iacob.

cobus Schmidelin. Cõtrà Paulus Coloss.*1*. Sanderus in Sect.*225*.

79. Ex Caluinistis quidam, qui dicuntur Vecti, Christum, quẽ semel venisse non negant, iterum ante diem Iudicij rediturum expectant. circa annum *1570*. Contrà Sander. ex pluribus Scripturæ locis, in Secta *230*. VECTI.

XI.

CHRISTIANI.

Cvm ante Donati superbiam oẽs, qui in Christum crediderunt, Christiani vocarentur, ausus est populum cum Deo diuidere: vt qui illum secuti sunt, iam non Christiani vocarẽtur, sed Donatistæ. circa annũ *400*. Hoc idem cadit in Lutheranos à Luthero, in Zuinglianos à Zuinglio, in Brentianos à Brentio, in Caluinistas à Caluino vocatos. Cùm antea omnes vocarẽtur Christiani. Cõtrà Hieron. in dialog. contra Luciferian. Chrysost. homil. *33*. in Act. Apostolorum; qui post multa; Assistit nomen, inquit, accusans illos. Optat. li. 3.

XII.

XII.

CIBVS.

1. TATIANI & Encratitæ dicunt, carnibus vesci non licere. circa annum *165*. Quem errorem posteà suscitârunt etiam Manichæi. circa annum *410*. Cathari autem insaniam hanc auxerunt, dicentes; non licere comedere oua, caseum, lac, etiamsi necessitas adsit. circa annum *1163*. Contra hos omnis clamat Scriptura. Exod. *12*. Leuit. *11*. Deuteron. 14. Roman. *14*. Actor. *10*. 1. Corinth. 8. *1*. Timot. 4.

Alphonſ. de Caſt. in tit. cibus, hær. 1.

2. IOVINIANVS ècontra asseruit, cibos omnes, quolibet etiam die, sine discrimine, licitos esse. circa annũ *360*. „ Est etiam error VValdẽsium, qui tem„ pore Quadragesimæ, carnem & oua, & „ reliqua prohibita comedebant, dicen„ tes, nullum esse peccatum facere, imò „ dicebant, Ecclesiam non posse talem „ ciborum abstinentiam præcipere, & in „ tali abstinentia à carnibus dicebãt, nul„ lum inesse meritum.

Auguſtin. hæreſ. 82.

Idem etiã hodie dictitãt Lutherani et Caluinistæ.

XIII.

XIII.

COMMVNIO.

1. Michael de Cesena & VVilhelmus de Occam, in eo fuerunt errore, vt dicerent, Christum, eiusq; discipulos, & veros imitatores nihil in speciali, aut in communi velut suum habuisse. circa annum *1320*. Cōtrà Ioan. Papa (in extrauagante cum inter. ca. 4. de verbo. signif.) qui eos ob hāc doctrinam excommunicauit.

2. Begvini quoq; dicebant, Christum & Apostolos nihil habuisse, nec in proprio, nec in communi. Vnde inferebant, contra Euangelicam perfectionem esse, aliquid etiam in communi habere. circa annum *1320*. Contrà Guido Carmelita in Summa de hæres. in confutatione huius erroris ca. 2.

3. Nostro seculo Anabaptistarum quidam, vxores, liberos, & omnia volebant esse cōmunia. circa annum *1544*. Contrà *1*. Cor. 7. & *2*. Cor. *9*.

XIIII.

CONCILIA.

1. Ev-

Flauian. in Epiſtola ad Leon. Papã.

1. EVTYCHES geſta Epheſi confe-ctã pro nihilo habuit. circa annũ 443. Contrà Proſper Aquitannicus paulò antè finem libri Collator.

2. CONTRA Calcedonenſe verò Cõcilium etiam contumelioſis vocibus anthlârũt Eutychiani. circa annũ 443.

Proteſtãtes Eutychiani.

„ Quis autẽ ignorat Proteſtantibus quo-
„ que in more poſitum eſſe, vt tam vete-
„ rum, quàm recentiorum Conciliorum
„ decreta pro nihilo habeãt? Contrà Vigilius Martyr Epiſcopus Tridentinus lib. 5. aduerſ. Eutychen.

3. LVTHERVS enim, cum à principio prædicationis ſuorũ errorum, ad Concilium appellâſſet, timẽs poſteà ne fortè Concilio congregato, ſua venenoſa dogmata damnarentur, addidit hoc aliud venenum, dicens; Concilium generale quantumlibet probè (vt decet) congregatum, poſſe in fide & moribus errare, & Cõcilium Conſtantienſe errâſſe in condẽnatione Ioan. Huſs. Cõtrà Alphonſ. de Caſtro aduerſ. hæreſes lib. 4. in tit. Concilium, hęreſ. vnica.

Lutheri audacia.

XV.

XV.

CONFESSIO.

1. MONTANISTÆ erubuerunt cõfiteri peccata, quasi iusti. circa annum 175. Contrà Clemens in secund. Stromatum.

2. NOVATIANI seu Cathari, oris confessionem, & sacerdotis sacramentalem absolutionem penitus abstulerunt, velut solus Deus potestatem remittẽdi peccata sibi perpetuò retinuisset, nec illam à ministris Christi, ad ędificationem Ecclesiæ, vnquam voluisset dispensari. circa annũ 251. Contrà Cyprian. ad Cornel. lib. 1. Epist. 2. & Sander. ad longum Sect. 49.

3. IACOBITÆ dicunt, non esse necessarium confiteri sacerdoti, sed sufficere soli Deo peccata cõfiteri. circa annum 584. Nonne etiam hoc ipsum docent Protestantes? Cõtrà Gregor. homil. 26. in illa Euangelij verba: Quorũ remiseritis peccata. Idem lib. 7. Indict. 9. Epist. 24. de ligandi soluendiq; potestate, ad Theodosium Monachum. Buchinger. in Ecclesiastica histor.

4. VVAL-

Lutherani Hußitis im pudētiores.

Sander. in Sect. 105.

4. VV ALDENSES dicunt, potestatem Confeſſionis audiendæ & abſoluendi etiam laicis à ſolo Deo datam eſſe. circa annum 1180. In hoc autem ab „ Huſſitis & noſtrorum temporum hæ„ reticis differunt, quòd crimina puta„ bant confitenda, id quod hodie à Cal„ uiniſtis non obſeruatur. Sander. in Secta 105. Contrà vniuerſalis Eccleſiæ conſuetudo probè confutat hunc errorem.

5. ALBIGENSES negant confitendum eſſe. circa annum 1200. Contrà Concil. Lateranen, ca. 1.

Nouatores verò, nulli ſacerdoti confitendū putant.

6. IOANNES de Poliaco dicebat, ſtante ſtatuto Concilij generalis, quod homines iubebat ſua crimina proprio ſacerdoti confiteri, nec Papam, nec Deum ipſum facere poſſe, vt alius, præter parochialem ſacerdotem, ita poſſet quempiam abſoluere, quin is eadem peccata proprio ſacerdoti cōfiteri obligaretur. circa annum 1320. Contrà Auguſtin. Anconitanus in lib. de Eccleſia-

clesiastica potestate q. *65*. artic. 2. & *3*. & Sander. in Sect. *164*.

7. FLAGELLANTES mortalia crimina sacerdoti cõfiteri inutile esse garriunt. circa annum *1350*. Contrà Durandus lib. *4*. dist. *17*. q. *9*.

8. LVTHERVS confessionem peccatorum nõ esse necessariò faciendam sacerdoti, nec illius Absolutionem sacramentalem expectandam. esse docuit. circa annum *1535*. Quæ fuit olim Nouatianorum hæresis, vt ex Cypriano, Lactãtio, & Ambrosio probat Sanderus. Cõtrà idem Sanderus hîc in Secta 188. ad verba Christi Ioan. *20*. Accipite Spiritum sanctum. Lutherus Nouatian. „ „ „ In Sect. 49.

9. IS ETIAM docuit, nõ esse necessarium omnium peccatorum examen, nec esse omnia mortalia peccata confitenda; quoniam dum omnia purè velimus confiteri, nihil aliud faciamus, q̃ quòd misericordiæ Dei nihil velimus relinquere ignoscendum. Contrà Alphonsus de Castro aduers. hæres. lib. 4. in titulo de Confessione, hær. vnica. Rustica Lutheri Theologia.

XVI.

CONFIRMATIO.

1. NOVATIANVM graui morbo decumbentem Baptiſmatis quidem aqua circumfuſum eſſe, ſed vbi conualuiſſet, neq; cętera poſt Baptiſmũ acquſiuiſſe, neq; Dñi ſigillo (hoc eſt, Cõfirmationis Sacramento) ab Epiſcopo obſignatum fuiſſe, refert Cornelius apud Euſebium lib. *6.* ca. 35. circa annum *251.* Cõtrà Cyprian. lib. 2. epiſt. *1.*

Confirmatio Sigillum Domini.

2. HÆRESIS Græcorum eſt, vt ait Guido, Cõfirmationẽ non eſſe Sacramentum. Sed Æneas Syluius hunc errorem VValdenſium hæreſi adſcribit. circa annum *1180.* Contrà Concil. Florentinum. Cyprian. de ablutione pedum, & epiſto. *12.* lib. *1.* Auguſtin. lib. *5.* contra Donatiſtas ca. *20.*

De orig. Bohemorum cap. 35.

3. POST iſtos Ioannes VViclef VValdenſium inſtaurãs Sectam, dixit, Confirmationem poſſe à quolibet presbytero dari. circa annum *1394.* Contrà Alphonſ. de Caſtro in tit. de Confirmatione hær. vnica.

XVII.

XVII.

CONTRITIO.

1. Contritionem maiorem facere hypocritam & peccatorẽ, docuit Lutherus. circa annum 1535. Contrà Ezechielis 18. Isai. 38. 2. Cor. 7. Cõcilium Tridentin. in Sess. 14. ca. 5.

2. Is idem ait, Cõtritionem, & peccati detestationem, quæ ab horrore gehennæ incipit; esse peccatum; tantum abest, vt illam probare velit. Contrà Alphonsus d. lib. 4. in loco de Contritione.

XVIII.

CONVENTICVLA.

Donatistæ speculam quãdam foris à ciuitate Romana gradibus sepserunt, vbi pro tempore conuenticulum habere potuissent, vnde Montenses appellati sunt. circa annũ 400. Talem speculam VValdenses in Gallia, VViclefistæ in Anglia; & Protestantes in Germania ab initio frequentârunt. Contrà Optatus lib. 2.

Donatistæ cur Montẽses appellati.

XIX.

CREATVRA.

1. GNOSTICI dicebant, creaturas factas esse à malo Deo, & quasdam earum esse in se malas. circa annum *120.* Contrà Iustinus in quęstionum à Gentibus propositarũ explicatione, quæst. 127. & *128.*

2. PRÆTER Creatorem & creaturam aliud quiddam esse putabat Petrus Abailardus. circa annum *1140.* Contrà Anselmus in Monolog. ca. *16.*

XX.

CRVX CHRISTI.

1. CVM Iulianus in adyta quædam, oraculi consulendi causa, descendisset, spectrisq; ex improuiso apparentibus, se cruce consignâsset, diffugêre spectra. Magus ita rem interpretabatur, velut dæmones tam sceleratum Iuliani factũ ferre non possent. circa annũ *362.* Hoc idem hodie Protestantes respondent, cùm obiicimus eis virtutẽ signi crucis. Contrà Gregor. Nazianzenus in Orat. in Iu-

Socrat. li. 3. cap. 3.

Protestantiũ stultiss. ratio fugæ diaboli, à signo crucis.

in Iulian. & Lactantius de vera Sapientia lib. 4. cap. 27.

2. IDEM Iulianus contra Christianos pro Idololatria Gentium scripsit, ibiq; signum crucis Christi reprehendit, quod neque Caluinistæ nostri temporis ferre possunt. Contrà Iuliano respōdit doctissimè D. Cyrillus Alexandrinus libris decem. In quorū 6. hoc signum habet suas laudes.

Caluinistæ „ crucem ferre non „ possunt. „

3. CRVCEM non priùs venerantur Armeni, quàm eam baptizauerint, & in eius medio clauum fixerint (quo significant, vnum ex Trinitate crucifixum, id est, diuinam eius naturā) & sacrificij sanguine ipsam inunxerint. circa annū 603. Contrà Euthymius part. 2. tit. 20. circa medium.

Crucem baptizant Armeni.

4. MAHVMETANI crucem abominantur, & Christianos eam adorantes appellāt idololatras. circa annum 640. Contrà in Canone 73. sextæ Synodi.

5. HOS SECVTI Pauliciani, signum crucis non adorant. circa annum 790. Nec Protestantes hoc faciunt. Contrà „

Faciunt hoc ipsum plerique Lutherani & præsertim Caluinistæ.

Protestātes Pauliciani.

Ioann. Damaſcenus de Orthodoxa fide lib. 4. cap. 17.

6. ALIO prætextu Bogamili crucem deſpiciunt, quòd in ea Seruator occiſus fuerit. circa annum 1080. Contrà Euthym. panopliæ part. 2. titulo 23. cap. 11.

Abbas Cluniacen. contra Heinrician.

7. PETROBRVSIANI & Heinriciani cruces & crucifixos (id eſt, imagines Chriſti crucifixi) exurebant. circa annũ 1140. Id quod etiam hodie fit à Caluiniſtis. Cõtrà Rupertus Abbas Tuitien. in lib. 6. de diuinis Officiis.

XXI.

CVLTVS DIVINVS.

1. HYPSISTARIORVM hæreſis, ex Iudaico & Gentili more cõflata eſt. Ex Gẽtium enim religione ignis & lucernarum cultum, ex Iudaiſmo Sabbathum, & abſtinentiam à certis cibis retinebant; & ſolùm Omnipotentem venerabantur. circa annum 380. Contrà Nazianzenus in Apologetico 1. & in Orat. ad Gregor. Nyſſenum.

2. HEI-

2. HEICETÆ cum tripudiis in fœminarum cœtu Deum à viris laudandũ asserebant. circa annum 605. Contrà Isidorus de summo bono lib.3. ca.20. Damascen. hær.87.

3. CLAVDIVS Taurinen. Omnes sanctę Ecclesię cultores, Galliã & Germaniam incolentes, idololatriæ abominatione irretitos dixit. circa annum 825. Contrà Ionas Aurelianus in lib.1. de cultu imaginum.

CLASSIS HÆRESVM QVARTA.

D.

DAMNATI.



ARMENI dicebant, Omnes homines ante Passionem Christi dãnatos fuisse. circa annum 603. Contrà Gregor. in Iob. lib.4. cap.3.

II.

DECIMAE.

1. VVICLEFVS Ecclesiasticis decimas deberi negauit. circa annum *1394*. Cõtrà Nicolaus de Lyra in Moralibus super cap. *18*. libri Numerorum.

Hæc apud Munster. in lib. Cosmograph. 3. de Germania.

2. IOANNES Beham Tympanista, & pecorum Pastor vitã Cleri accusans, decimas persoluẽdas vnà cum VVicleso negans; illud habebat proprium, vt etiam telonia, vectigalia, & tributa negaret persoluẽda; aquas verò & nemora omnibus libera esse vellet. circa annum *1445*. Contrà Dionysius Ricel. Carthusian. in *22*. Matth. & in cap. *13*. ad Romanos.

III.

DEVS.

1. SIMON Magus multos Deos posuit, quibus præesset vnus, incomprehensibilis, omnibus incognitus. circa annum *50*. Contrà *1*. Cor. 8.

2. EX MVLTIS verò illis vnum fore electum, vt Iudæorum populo DEVS esset,

esset. Eodem tempore. Contrà Iudæus erat, qui dixit: Regi seculorũ soli Deo gloria. *1*.Timot.*1*.

3. ELYMAS Magus dicebat: Si est omnipotens Deus, quomodò dicitur à Paulo seipsum negare non posse? circa annum *50*. Contrà Dionys. Areopagita de diuinis nominibus cap.8. Actor. 13.

4. GNOSTICI duos dicebant esse Deos. circa annum *120*. Contrà Iustin. Martyr in lib. de Trinita. Vnus, inquit, est verè omnium Deus.

5. CERDON item & Marcion duos posuerunt Deos: Vnum, sæuum & incognitum, qui mundum & vetus Testamentum fecit: Alterum, bonum & cognitum, qui fuerit pater Christi. circa annum *140*. Contrà Irenæ. libro *3*, cap.3. Irenæ lib.1. cap. 28. & 29.

6. TERTVLLIANVS Deum dixit esse corpus. circa annum *210*. Quod hęreticum esset, si per corporis nomen aliquid, quod sub sensum subiicitur, intelligeret. Sed ille per hoc intellexit rem inanitati, & nihilo oppositam, hoc Aduer. Praxeam.

est, veram naturam & substãtiam. Augustin. hæres. 86. & Sanderus in Secta 45.

7. Arrius verò etsi plures fateatur personas in diuina natura subsistẽtes, eas tamen dicit esse inæquales. circa annum *315*. Contrà Alphons. de Castro aduers. hæres. lib. *5*. in titulo Deus hæres. *6*.

8. Noetiani, in diuinis personarum numerum negabant. circa annum 258. Contrà Psal. *2*. & Psal. *109*. Genes. *1*. & *19*. Ioan. 1. Hebræ. 1. 10. & *17*. cum similibus multis.

Epiphan. hær. 70. 9. Avdeani siue Anthropomorphitæ Deo formam & partes humani corporis tribuerunt. circa annum *350*. Contrà Athanasius in Orat. aduersùs Arrianos, quòd ex Deo Deus est Verbum.

10. Priscillianistæ quasdam virtutes ex Deo procedere cõmenti sunt, quas ipse sua essentia præcesserit, & ita cum Arrio senserãt Patrem Filio priorem esse. circa annũ *450*. Contrà Leo in epist. *91*. c. 1.

11. Ma-

11. MAHVMET docuit, vnum esse Deum, qui neq; genitus sit, neq; generauerit. circa annum *640.* Contrà Concil. Toletan. *4.* can. *1.*

12. IDEM Deum omnis mali auctorem esse dixit. Contrà Isidorus de summo bono lib. *1.* ca. *11.* Cedrenus in vita Heraclij.

13. BOGOMILI Deum humana forma præditum putabant. circa annum 1080. Contrà Theophylactus in Ioan. cap. 4.

14. PETRVS Abailardus dicebat, Deũ omnium bonorũ authorem non esse; & aliud quiddam æternum esse, præter Deum. circa annum *1140.* Contrà Anselmus in Monolog. ca. 3. 4. 5. & 7.

15. GILBERTVS Porretanus dicebat, Deum diuinitate sua esse Deum. circa annũ *1150.* Quam hæresim ab illo reuocatam discipuli eius contentiosiùs defendebant. Contrà Eugenius in Cõcil. Remensi. Otto Frisingensis, de gestis Friderici lib. 1. cap. 57.

16. DAVID Dinantius (præter hæreses Almarici, cuius fuit discipulus) dice-

dicebat, Deum Materiã esse primam. circa annum 1205. Contrà Concil. Lateranen. sub Innocentio III. ca. 1. Thomas de Aquino contra Gentiles ca. 7.

17. LOLHARDI negabant Deum aut scire aut punire mala, quæ sub terris fierent, & ideò in subterraneis turpitudinem exercebant. Vnde puella quædam nomine Gisla, cùm interrogaretur in ipso tempore, quo propter hæresim suam comburebatur, vtrum virgo esset; super terram, inquit, virgo sum, sub terra minimè. circa annum 1320. Contrà Thomas part. 1. quæst. 14. Artic. 11. Bonauentura in Senten. libro 4. distinct. 48. cap. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal CHRISTI. 2. Corinth. 5.

18. INTER VViclefi hæreses numeratur etiam illa, quòd DEVS debeat obedire Diabolo. circa annum 1394. Contrà Gerson de Passionibus animæ. Consideratione sexta.

IIII.

DIABOLVS.

1. PRIS-

1. PRISCILLIANISTÆ Diabolum nũquam fuisse bonum, nec eius naturam opificium Dei esse, sed ipsum ex chao emergentem, omnis mali esse substantiam. circa annum 450. Contrà Leo in Epist.*91.* cap.8.

2. PETRVS Abailardus dæmonum suggestiones in nobis contactu lapidum & herbarum fieri somniauit. circa annum *1140.* Contrà Petrus Lombard. libro 2. distinct. 7. & 8. ex Augustin. & Beda.

3. NEC Diabolum ius in homine habuisse dixit, nisi vt carcerarium. Eodem tempore. Contrà Bernhardus in Epistola*190.*

4. RAYMVNDVS Lullius libellum scripsit de inuocatione dæmonũ, magiæ plenum. circa annum *126*0. Contrà Thomas in *2.* Secundę.q.*9*0.artic.2. *1.* Corinth.*10.* Inuocatio dæmonum.

5. GEORGIO DAVIDICI negant esse Diabolum, & carnis resurrectionem. Nostro tempore. Contrà *1.* Petri 5. *1.* Corinth.*15.*

V.

DIES FESTI.

1. PETROBRVSIANI ridebãt dierum solennium vacationes. circa annum *1140*. Contrà Gratian. de consecrat.dist.3.cap.*1*.

Idē pro arbitrio suo faciunt hodie Lutherani,& Caluinistæ.

2. VVALDENSES quoq; dies festos contemnunt,& in illis manibus operãtur.circa annũ *1180*. Contrà Alexand.3. extrà de feriis. in cap. licet.

VI.

DIVORTIVM.

1. MONTANVM nuptiarum diuortium docuisse testis est Eusebius lib. 5. cap.*17*. circa annum 175. Contrà Clemens in 3.Strom.

Prateol. in Elēcho hær. lib 9.ca.31. hær. 10.

Protestãtes Matrimonia dissoluenda docent.

2. IDEM fecerunt olim Iudæi, qui Matrimonium propter adulteriũ dissoluerēt, ita vt liceret etiã aliam ducere. Sic & Euangelici Protestantes eadem de causa Matrimonia dissoluenda docent, ita vt personæ innocenti liceat alteri nubere, vt author est Melanchton in Locis communibus, Anno 1552.

Et in

Et in Examine ordinandorum. Vnde ››
& factum legimus, vt quidam intra se- ››
miannum tres duxerit Geneuę vxores, ››
quòd, secundùm Euãgelium, duas pro- ››
bârat adulteras, Caluino iudice. ››

3. APVD Mahumetanos diuortium faciunt improbi mores, infœcunditas, ait Bartholomæus Hungarus. An non & apud Euangelicos similia reperire est exempla minimè obscura? Oecolampadium priore deserta, duxisse alteram, illa frustra licet publicè occlamante, suum illum esse maritum, oculati testes affirmant. Nota quoque est toto orbe illa memorabilis Anglici diuortij historia, quæ infœlicissimam vt Ecclesiæ peperit tragœdiam, ita regno perniciem deploratissimam.

Idem li. 11. cap. 3. hæref. 12.

Hæretici adulteri.

VII.

DOCTRINA ECCLESIAE.

1. NESTORIVS veterum interpretum scripta pdiscere dedignat' est, seipsum omnibus antecellere existimans. circa annũ 427. Nónne & hodie Protestãtes ››

dedi-

Protestantes Nestoriani reiiciũt scripta veterum Ecclesiæ Doctorum.

„ dedignantur veterum Ecclesię Doctorum scripta pdiscere? Quomodò alioqui negarent, orandum pro defunctis, quod tota per orbem semper docuit, prædicauit, & exercuit Ecclesia? Quod idem de aliis eorum erroribus sentiendum est, in quibus à fide Catholica impudenter discedunt. Contrà Socrat. lib. 7. cap. 32. & Sander. hîc Secta *100.*

Docẽdi via.

2. FELICIANVS, præter hæresim Arrianam, qua infectus erat, hoc de suo adiũxit, vt diceret; Melior mihi ad docendum hæc via, qua primùm fidei ratio sine testimoniis redditur, pòst ratione conuicta, idem illud Scripturis respondentibus expolitur. circa annum 480. Contrà Augustinus aduersùs Felicianum, de vnitate Trinitatis, ad Optatum.

VIII.

DOMINIA RERVM temporalium.

PETRI Dresensis, siue Hussitarum Artic. 4. in Concilio Basiliensi propositus

tus is erat, non licere Clero tempore legis gratiæ super bonis temporalibus seculariter dominari. circa annũ *1415.*
„ Appellant seculariter dominari, vt hodie Pseudoepiscopi Lutherani & Caluinistæ in Anglia dominantur. Licet enim, cùm adhuc miserè victitarẽt, mirum in modum opibus, quas fideles Christiani Ecclesiæ ad honorem Christi obtulerant, inuiderent; tamen postquàm reperti sunt impij Principes, qui paterentur ipsos iisdem bonis potiri, videmus hisce oculis, quòd Protestantes multò magis seculariter cùm vxoribus etiam & liberis iam dominentur, quàm vnquam dominati sunt Catholici. Atque vel hinc apparet, quale Euangelium isti prędicent, quod vtiq; pro suo arbitratu inuertunt, donec totam Ecclesiam, quod in ipsis est, euerterint.

Vt refert Sãderus in Secta 175.

Contrà Gerson 4. part. in sermone de inuidia. Ioannes de turre Cremata in Summa de Ecclesia lib. 2. ca. *116.*

CLASSIS HÆRESVM QVINTA.

E.

ECCLESIA.

1. Hebræ. 10. DE PSEVDOAPOSTOLIS conqueritur D. Paulus, iam tum cõsuetudinis fuisse quibusdã, deserere collectionem fratrum. circa annum 60. Contrà. Idem Paulus reprehendit hoc nomine Elymam Actor. 13.

2. Catholicũ. MONTANISTÆ olim in Ecclesia controuersiam mouerunt de nomine Catholico. circa annum 175. Contrà huius nominis fit mentio in epist. 1. Victoris, & Ecclesiæ Catholicæ apud Clementem 7. Strom.

3. APOSTOLICI se isto nomine arrogan-

rogantissimè vocauerunt, eò quòd in suam communionem non reciperent vtentes coniugibus, & res proprias possidentes, quales habet Catholica Ecclesia (inquit Augustinus) & Monachos & Clericos plurimos. Sed ideò isti Hæretici sunt, quoniam se ab Ecclesia separantes, nullam spem putant eos habere, qui vtuntur his rebus, quibus ipsi carent. circa annum 195. Encratitis isti similes sunt. Nam & Apotactici appellantur. Contrà Clemens in 3. & 4. Strom.

Augustin. hæres. 40.

4. LVCIFER volebat, suos tantùm sectatores Ecclesiam esse: antiquam verò illam Ecclesiam dicebat factam de Ecclesia lupanar. circa annum 330. Hoc idē Lutherani ac Caluinistæ iamdiu de antiqua Patrum nostrorum ætate dixerunt. Contrà Hieronymus aduersùs Luciferian.

Lutherani & Caluinistis antiqua Ecclesia lupanar.

5. AVDEANI, siue Antropomorphitæ à Catholicorũ cõmunione abstinebant propter Episcopos diuites, & alia eiusmodi.

Epiphan. hæres. 70.

modi. circa annum 350. Contrà Cyrillus Hierosolymitanus in Catechesi 8. D. Ambrosius de Basilicis tradendis, Epist. lib. 5.

6. QVIDAM perhibent, Aërianos non admittere ad cõmunionem suam nisi continentes, & eos, qui nulla propria possident. circa annum 354. Cõtrà Ambros. in 6. Lucæ.

Basil. lib. 1. contra Eunom.

7. EVNOMIVS negauit multitudini, antiquitati, & dignitati Christianorum plus deferẽdum esse. circa annum 363. Qua etiam in opinione Lutherani & Caluinistæ Eunomianorum imitatores sunt. Contrà Athanas. in lib. de Synodis Arimini & Seleuciæ.

Lutherani & Caluinistæ Eunomiani.

8. DONATISTÆ dicebant, Catholicam Ecclesiam esse apud se, nec rationem vllam Episcoporum aut Galliæ, aut Italiæ, aut vrbis Romæ habebant, cùm tamen octodecim Episcoporum iudicio, præsidente illis Romano Pontifice, condemnati fuissent, velut iniusti accusatores Cæciliani & Schismatis Authores. circa annum 400. Contrà Opta-

Optatus lib. I. de Schiſmate Donatiſtarum.

9. POSTQVAM Donatiſtæ pertinaci diſſenſione Schiſma in hæreſin verterunt, dicebant, Eccleſiam de toto orbe periiſſe, & in ſola parte Donati remanſiſſe. circa annum 400. Hoc ſinguli Hæretici ab initio docuerunt. Hoc noſtra ætate Lutherani, Zuingliani, & Caluiniſtæ docent. Contrà Chryſoſtomus in homil. Quòd CHRISTVS ſit DEVS.

Hodie Lutherani, Zuingliani, & Caluiniſtæ omnes ſunt Donatiſtæ.

10. IN AFRICA, ſicut & in cæteris Prouinciis, vna erat Eccleſia, antequã diuideretur ab ordinatoribus Maiorãnis. circa annum 400. Sic in Germania, Anglia, & Galliis vna erat Eccleſia, antequã diuideretur à Luthero, Zuinglio, Heinrico octauo, Caluino, & Beza. Contrà Optat. lib. I. de Schiſmat. Donatiſtarum.

Eccleſia ab hæreticis noſtri temporis diuiſa.

11. POST hæc nouorum Donatiſtarum in Africa ita creuit authoritas, vt de ſuis Eccleſiis eiicerent Catholicę fidei ſacerdotes. circa annum 593.

Gregor. lib. 3. Indict. 12. epi. 32. & in Pſal. 5. pœniten.

12. FVERVNT eodem tempore hæretici, qui dicerent, Ecclesiam non esse generalem, sed in tempore Donati, & ante finem seculi consummandã. Protestantes verò, in hac parte Donatistarum similes, Ecclesiam nonnunquam in angulis latêre, & ita de mundo visibili perire dicunt. Contrà Gregor. in 4. Psal. pœnitẽtiali. Iustus in Cantica canticorum cap. 12.

Protestãtes dicũt Ecclesiam de mũdo perire.

13. DE Græcorum defectione ab Ecclesia Rom. Vide hîc 4. causam apud D. Sanderum, post Sect. 733.

14. BERENGARIVS Romanã Ecclesiam, cùm adhuc palinodiam nondum cecinisset, vocauit Ecclesiam malignãtium, circa annum 1050. Contrà Lanfranc. de Sacramento Eucharistiæ, aduers. Berengarium.

15. ERANT qui dicerent, inuestituras Ecclesiæ à Laicis per virgas & annulum accipiendas esse, quoniam illi prædia & alia bona temporalia Ecclesiis donâssent: adeò vt nollent electum Cano-

Canonicè consecrari, nisi priùs à Rege inuestiretur. Quem errorem Heintricus Quartus & Quintus propugnârũt. circa annum 1088. Contrà Paschalis Papa II. in epist. ad Anselmum Episcopum Cantuarien.

16. PSEVDOAPOSTOLICI se solos corpus & Ecclesiam Christi esse gloriabãtur. Vnde etiã se Apostolicos nominabant, velut qui essent successores Apostolorum, in quos potestas Ecclesiæ primitiuæ translata esset. circa annum *1150*. Contrà Bernhardus in Cantica, Sermo. *66*.

17. VVALDENSES dicunt, quòd Romano Pontifici obedire nõ teneantur, imò totum Ecclesiæ Romanæ statum in capite ac membris damnant. Sed hoc priùs non dixerunt, quàm viderent, suam professionem à Pontifice Romano reiectam fuisse. Vt ex Vrspergens. relatione constat. circa annum 1180. Contrà Gratianus in principio distinct. *93*. Guido in errore VVal den. 1. & 21.

 18. AL-

18. ALBIGENSES dicũt, quòd Ecclesia non potest aliquid possidere, nisi in communi. circa annum 1200. Contrà Alexander 3. c. Quoniã à nobis. extrà de decimis.

19. ITEM quòd Ecclesia non potest facere constitutiones. Eodẽ tempore. Contrà Concil. Lateranen. 2. ca. 6. & in ca. 50.

20. TVM quòd Ecclesia non potest excommunicare, nec malos persequi. Contrà Innocent. 3. extrà de Sentent. excommunicat. ca. à nobis.

21. DAVID Dinantius per Babylonem meretricem magnam, in Apocalypsi, vniuersalẽ Romanam Ecclesiam intelligit. circa annum 1250. Contrà Thomas Aquinas in Apocalypsin, capit. 14.

22. MARSILIVS Patauinus asseruit, Ecclesiam temporalia habere non posse. circa annum 1324. Contrà Aluar. de planct. Ecclesiæ lib. 1. cap. 68.

23. IOANN. Hus vniuersalem Ecclesiam ex solis prædestinatis constare dice-

dicebat: Et isto modo, inquit, Ecclesia est Articulus fidei; præscitos verò negabat esse partes Ecclesię. circa annum 1410. Contrà Ioann. de Turrecremata in Summa de Ecclesia lib. 1. cap. 3. Artic. 13. & 6.

24. DEFENDIT etiam vnà cũ VViclefo, quòd qui mortalis culpæ reus sit, is neque seculari, neque Ecclesiastica dignitate potiatur, nec ei pareri debeat. Eodem tempore. Quæ hæresis ,, ius omne, humanum ac diuinum con- ,, fundit & tollit. Et tamen eam defen- ,, dentes nõ videntur Lutheranis & Cal- ,, uinistis fuisse Hæretici, sed boni Ca- ,, tholici. Contrà Gerson de vita spirit. ,, lect. 38. Lutherãi & Caluinistæ hæreses probant.

25. ROMANAM Ecclesiam VViclefus appellauit Synagogã Satanæ, cum ea tamẽ & VViclefus communicauit, sedente iam Vrbano sexto, ad quem scripsit, eumq; Vicarium Christi agnouit. Et quatuor Bohemorum legati totam Bohemorum factionem communicaturam cum eadem Ecclesia Romana Concilio Basiliẽsi spondebant, si

F 5 qua-

quatuor tantùm illis articulos concederet, ex quibus tres ad ſummum fuerant à VViclefo prædicati. circa annum 394. Vnde apparet, Huſſitas non curâſſe reliquos VViclefi Articulos; etiamſi permulti eſſent. Ita nec ſecum VViclefus, nec cum Huſſitis, nec Huſſitæ aut cum VViclefo, aut ſecum ipſi potuerunt conſentire; quia omnes à vera DEI Eccleſia diſſenſerunt: Extrà quam nec vnitas fidei, nec ſalus animarum inuenitur. Contrà Sanderus in Secta 178.

Principes laicos caput eſſe Eccleſiæ nugantur Nouatores.

26. ANGLIÆ Pſeudoeuangelici quidam, primò Heinricum eius nominis octauum, deinde filium eius impuberem Edouardum ſextum, ac demum Elyſabetham fœminam appellârunt ſumma Eccleſiæ Anglicanæ & Hybernicæ capita, immediatè poſt CHRISTVM, in omnibus cauſis & rebus tam ſecularibus, quàm ſpiritualibus. Circa annum 1563. Hanc hæreſim Samſon & Monſonus præcipuè

tutati sunt. Contrà, Laicos, etiamsi Reges sint, non posse cum potestate in rebus Ecclesiasticis præesse, docet D. SANDERVS in Secta 220. Et SAMSONEM egregiè confutauit Cardinalis Polus, in libro de Vnitate Ecclesiæ.

27. PROTESTANTES ab initio docuerunt, Ecclesiam esse inuisibilem, eò quòd DEVS solus nosset, qui essent ipsius. Pòst autem cùm viderent, nec eam hæresim probabilem esse in se, nec dubitarent asserere; suam Synagogam, quæ ab omnibus videbatur, esse DEI Ecclesiam, eô delapsi sunt, vt dicerent; Ecclesiam quidem esse in » se visibilem, aliquando tamen ita ob- » scurari, vt penitus periisse videatur. » circa annum 1563. Contrà D. SANDERVS in Secta 228. ostendit, Ecclesiam semper non modò visibilem, sed etiam illustrem & conspicuam esse, nec obscurari aut latêre vnquam posse.

Hereses Protestantium & Zuinglianorum de Ecclesia.

Ecclesiá Protestátes duplicē excogitârunt.

28. PRÆTEREA duplicem Ecclesiam excogitârunt Pseudoeuangelici; vnam, quæ veram doctrinam profitetur, & Sacramentis rectè vtitur; quæ cerni quoque potest, in qua sunt multi verè pij, in qua sunt & quidam hypocrytæ, sed exterius in doctrina, & Sacramentorum vsu conuenientes: alteram verò piorum & electorum, quæ sit columna & firmamētum veritatis, qui cœtus magis creditur, quàm corporeis oculis cernitur. Idem Magdeburgen. docent, in Centur. *1*. cap. 4. pag. *171*. circa annum *1566*. Contrà, vnicam Christi Ecclesiam (in qua boni & mali fideles continentur) esse columnam & firmamentum veritatis, demonstrat Sanderus post d. Sect. 228.

Illyr. in lib. de Sermo. sacrar. literarum.

29. HELVETII videntes Illyrici & Magdeburgensium opinionem de Ecclesia duplici non esse Scripturis sacris consentaneā in confessione edita Anno Domini *1566*. ca. *17*. fatentur, vt vnū Deum & vnū Mediatorem, sic vnum Pastorem, vnumque Gregem, seu Ec-

cle-

clesiam esse, & deinde non ipsam, quæ vna est, verùm ipsius mēbra ita distinguunt, vt alia triumphent, alia militēt, Sed cùm ad rem, qua de agimus, hoc est, ad columnam & firmamentum veritatis ventum est, ita scribunt: Non errat Ecclesia, quàm diu innititur petræ Christo, & fundamento Apostolorum & Prophetarum. Nec mirum si erret, » quoties deserit illum, qui solus est veri- » tas. Illi ergo putant columnam verita- » tis errare posse, quia putant Ecclesiam » deserere posse Christum. Contrà San- » derus probat, Ecclesiā Dei semper esse columnā veritatis, nec eam posse Christum deserere.

Ecclesiā errare posse docent Pastores Tigurini.

30. OMNES horum temporum hæretici dicunt, veras Ecclesiæ Dei notas esse, Verbum Dei legitimè annunciatum, & Sacramenta ritè administrata. Cæterum quæcunque tandem sint veræ notæ, per quas Ecclesia Dei cognoscitur, Protestantiū tamen & Pseudoeuangelicorum Ecclesiam non posse vllo modo veram DEI Ecclesiam esse

De notis Ecclesiæ veræ doctrina nouatorum.

esse, pulchrè declarat D. Sanderus, vbi suprà.

31. SIC OMNES Lutherani, Zuingliani, Caluinistæ, Anabaptistæ, Libertini, Trinitarij vna voce clamant; Ecclesiam Romanam minimè esse veram Dei Ecclesiam.

32. PETRVM non fuisse Romę pręter Velenum, Functius in Chronologia sua fabulatur; quod idem Molinæus credit. Lutherus verò & Caluinus in dubium id vocari facilè patiuntur, affirmare tamen non audent. Porrò Petrum fuisse Romæ Sanderus ex fundamento demonstrauit, libro 6. de visibili Ecclesiæ Monarchia capit. 10. Imò etiamsi nunquam fuisset Romæ, tamen primatum Romanum rectè cõsistere docet in Secta 225.

II.

ELEEMOSYNA.

VIGILANTIVS prohibebat Hierosolymam, in vsus Sanctorum, aliqua sumptuum solatia dirigi. circa annum 410.

410. Contrà Hieronymus aduers. Vigilantium.

2. AVGVSTINVS lib. 21. de ciuit. Dei ca. 22. dicit se comperisse quosdam putantes, eleemosynam tãtæ esse virtutis, vt qui eam exercuerit, quantúlibet criminosè & nefariè viuat, æternum tamẽ supplicium non sit habiturus; sed illis duntaxat dicebant perpetuum supplicium esse destinatum, qui eleemosynas non fecerunt, aut facere contempserunt. Contrà 1. Cor. 13. Vide quo vsque progressa sit impietas.

3. VVICLEFVS asseruit, eum qui fratribus mẽdicantibus eleemosynã contulerit, ipso facto esse excommunicatum. circa annum 1394. Contrà Concil. Constantien. in quo VViclefi errores omnes condemnati sunt.

4. EODEM modo Protestantes egrè ferunt, quòd Sanctis, qui iam Hierosolymis, & in monte Syna degunt, vel vllis etiam aliis, qui seculo renunciârunt, eleemosyna detur. Protestantium impietas.

III.

ELEMENTA.

1. Av-

Theodoret. hæret. fab. lib. 4. 1. AVDEANI tenebras, aquam, & ignem dicunt ingenita. circa annum 350. Contrà Basilius homilia 2. in Hexamer.

Augustin. hær. 59. 2. SELEVCIVS & Hermias materiam elemẽtorum Deo coëternam ponebant. circa annum 380. Contrà Ambros. Hexameron lib. 1. ca. 5. & 6.

IIII.

ELIAS.

FLAGELLANTES dicebant, quendam Begardum de Erfordia fuisse Heliam; Enoch verò fuisse quẽdam Conradum Smet, qui Flagellantium hæreses primus in Turingia publicauit, quẽ etiam in vltimo Iudicio Christi loco sessurum putabant. circa annum 1350. Cõtrà Haruæus in ca. 11. ad Hebræos.

V.

EPISCOPVS.

1. MELETIVS Thebaidos in Ægypto Archiepiscopus, constituebat Episcopos, & Clericos, & proprias Ecclesias

ſias ædificabat, quas Martyrum Eccleſias appellauit, à fide quidem ipſe non diſcedens, ſed in Schiſmate tamen ſuo pertinax. Cuius diſcipuli potiùs elegerunt, vt ſe iungerẽt cum Arrianis paulò pôſt exortis, quàm vt reconciliarentur Catholicis, Vnde etiam Theolonam elegerunt, Alexandriæ Epiſcopum, aduersùs magnum Athanaſium. circa annum *310.* Contrà Sanderus Secta 56. Epiphan. hær.68.

2. LVCIFER Caralitanus Epiſcopus aliàs Catholicus, negauit Epiſcopos, aut ab hæreticis creatos, aut in hęreſim lapſos, etiam poſt ſatisfactionem, cum Epiſcopatus honore in Eccleſiam recipiendos eſſe. circa annum 330. Contrà Hieronymus aduersùs Luciferianos.

3. EPISCOPVM non eſſe ſimplici ſacerdote ſuperiorem, aſſeruit Aërius quidam. circa annum 370. Cõtrarium probat Alphonſ. de Caſtro lib. aduerſ. hæreſ. 6. in tit. de Epiſcopis, hæreſ. *1.*

4. DONATISTÆ non habebant plures quàm quinque prædeceſſores Epiſcopos. circa annum 400. At Lutherani etiam pauciores habent. Contrà Optat.lib.2.

5. ALBIGENSES dicunt, quòd malus homo non poteſt eſſe Epiſcopus, vtpote cuius vitia ſubditis obſint. circa annum 1200. Cõtrà Ioan. Sarisberienſis in Policratico lib. 8. cap.19.

6. MARSILIVS Patauinus dicebat, nec Epiſcopum à Presbytero, nec Preſbyterum à Papa differre in poteſtate. circa annum 1324. Contrà Aluarus Pelagius de planctu Eccleſiæ lib. 1. ca. 68.

Bernhard. Lutzeburg.

VI.

EVANGELIVM.

1. INTER alias Flagellantium hæreſes hæc vna fuit, qua dixerunt, poſt aduentum ſuę ſectę, Euangelium deſiiſſe. Sicut hodie Pſeudoeuangelici delirãt, Euangelium vſque ad Lutherum ſub ſcamnis delituiſſe. Quem errorem niſi idiotæ homines, quales fuêre Flagellantes,

Alphonſ. de Caſtro ad uerſ. hæreſ. lib. 6. de Euangel. hęr. vnica.

lantes, docere non potuissent, cùm sint tam aperta sacræ Scripturæ testimonia; testantia Euangelium perpetuum, hoc est, in finem seculi duraturum. Eccle. 7. Baruch 2. Psal. 13. & 110. Luc. 21. Rom. 6. Hebræ. 9. & 13.

2. BRENTIVS Euangelium negat esse legem. Contrà Hosius aduers. Prolegomena Brentij.

VII.

EVCHARISTIA.

1. IGNATIVS refert, quosdam hæreticos fuisse, qui negabant, Eucharistiam esse carnem Seruatoris nostri IESV CHRISTI, quæ pro peccatis nostris passa est. circa annum 77. Id ipsum hodie Zuingliani & Caluinistæ docent. Contrà Martialis in epist. ad Burdegalenses. Theodoret. dialog. 3.

2. DONATISTARVM Episcopi iusserunt Eucharistiam canibus fundi. circa annum 400. Hoc idem fecerunt Caluinistę in Anglia, Belgia, & Gallia, nostris temporibus. Contrà Optat. lib. 2. Optat. li. 2. Caluinistæ.

3. MANICHÆI dicebãt: Nobis circa vniuersa, & Vobis similiter erga panem & calicem par Religio est. circa annum 410. Hoc Sandero videtur in Brentianos cadere, qui corpus Christi Vbique esse docẽt. Illis enim cum Manichæis par religio esse debet, circa vniuersa, cùm in vniuersis dicunt esse corpus Redemptoris. Contrà Augustinus aduers. Faustum Manichæum li. 2. cap. 5.

In Secta 98.

Brẽtiana Vbiquitas.

4. ARMENI (duce Echanio quodã) Eutychianorum pars, imò hæresum omnium sentina, dicebant, sacrificium panis carnis Christi (id est, eius panis, qui est caro Christi) non Christi, sed diuinitatis corpus esse. circa annum 603. Certè non multum absunt Caluinistæ ab hac sententia, cùm talẽ carnis Christi manducationem, etiã in Sacramento doceãt, quæ potiùs diuinitati, quàm carni per Sacramentum manducandæ cõuenit. Volunt enim solo spiritu eam corporis manducationem fieri, quæ in cœna Domini non solùm potissimùm, sed

Euthymius parte 2. titulo 20.

Sanderus in Sect. 118.

Caluinistæ.

ſed ſolummodò ad viſibile Sacramentum refertur, vtpotè de cuius corporali manducatione Chriſtus dixit: Accipite, & mãducate, hoc eſt corpus meũ. Spiritualis autem manducatio, quæ fit in Euchariſtia, fit, dum id ſpiritu participatur, quod corporaliter accipitur. Contrà Gregor. Magnus lib. 4. Dialog. cap. 58. & homil. 22.

5. VINVM aqua nõ miſcent, Et hoc etiam Proteſtantes obſeruant, contra omnem Eccleſiæ totius morem. Cõtrà Concil. Aurelianen. ca. 4. Nicephor. li. 18. ca. 53.

6. ICONOMACHI ſacrarum imaginum contemplationem cupientes obſeruare, aliam ſcilicet imaginem introduxerunt, Euchariſtiam appellãtes veram imaginem naturalis carnis Domini. circa annum 720. Qua in re tam vafrè locuti ſunt, vt quanquam non negârint veritatem Dominicę carnis in Euchariſtia, tamen aures Catholicorum Patrum offenderint, vt conſtat ex verbis Epiphanij in Concilio Nicæno ſecundo, actione ſexta, paulò ante finem 3. tomi.

7. PAVLICIANI dicebant: Corpus & sanguinem Domini esse illa verba: Accipite, & comedite, & bibite. circa annum 790. Contrà Paschasius in lib. de corp. & sang. Domini.

8. SVB nomine Bertrami, liber quidam de Eucharistia extat, in quo is author conatur ostendere, Eucharistiam nihil esse aliud, quàm panis & vini substantiam, quæ figuram & similitudinẽ corporis & sanguinis Christi gerat. circa annum 877. De qua doctrina, deque libro eam confirmante, quia nihil vspiam illa ætate legitur, nonnihil suspicantur, totam rem ab aliis Berengarij studiosis confictam, & sub nomine Bertrami falsò editam. Cõtrà Ioannes Damascenus de Orthodoxa fide lib. 4. cap. 14.

9. GRÆCI in fermentato pane consecrantes appellârunt Latinos Azimitas, & eos anathematizauerũt, eò quòd de pane azimo Christi corpus conficerent. Addebant etiam, fermẽtatum panem fuisse, quo Dominus Apostolis

Azimitæ.

suis

ſuis corporis ſui Myſterium in cœna commendauit. circa annum 965. Contrà Leo. IX. in Epiſtola poſteriore ad Michaëlem Conſtantinopolitan. Epiſcopum.

10. LIBELLVM quendã impium de Euchariſtia ſcripſit quidam Ioan. Scotus, à quo Berengarius hauſiſſe videtur doctrinam ſuam, non ſuper tecta, inſtar Apoſtolicæ doctrinæ in multis Gentibus per teſtes multos prædicatam, ſed in penetralibus & deſerto à paucis homuncionibus, ſicuti Chriſtus de Pſeudoprophetis prædixerat, obſcurè ab initio traditam, & diſſeminatam. circa annum 1040. Contrà hic liber in Synodo Vercellenſi omniũ ſentẽtia damnatus eſt. Matth. 24.

11. BERENGARIVS Archidiaconus Andegauenſis, ad B. Lanfrancum literas quaſdam ſcripſit, in quibus Ioannem Scotum extollebat, Paſchaſium damnabat, & communi de Euchariſtia Fidei aduerſa ſentiebat. Per hanc occaſionem prodita eſt BERENGARII hære- Occaſio hæreſis Berengarianæ.

hæresis, quę dicebat; Superesse in Altari, post cõsecrationem, substantiam panis & vini. Hęc enim sunt ipsius Berengarij verba, quæ apud Lanfrancum sub persona eius extant. Quo errore semel posito, qđ necessariò sequi videbatur, adiunxit; Non esse in Altari veram corporis & sanguinis Domini substantiam post consecrationem, circa annũ *1050.* Contrà Lanfrancus aduers. Berengarium. & Sanderus hîc in Sect. 137.

Idem hodie Lutherani sentiunt.

12. BOGOMILI panem communionis interpretantur esse Orationem dominicam Pater noster. circa annũ 1080. Contrà Adelman. Episcopus Brixiensis in epist. ad Berengar.

13. POSTQVAM Berengarius venenum illud suum contra Eucharistiam semel effuderat, Clãcularius eius discipulus, Clericus quidam, probabilis vitę in Lesmor (oppido Hybernię) prę sumpsit dicere; non esse in Eucharistia corporis Christi veritatem, eamque opinionem vsque ad anathematis denunciationem defendit. Sed posteà conuersus

uersus est ab errore, non sine miraculo. circa annum 1107. Contrà Bernhard. in vita S. Malachiæ, & Hugo Lingonensis Episcopus, in epistola ad Berengarium.

14. TANDEMVS Hæreticus, circa Antuerpiam agens, corporis & sanguinis Christi perceptionem sumentibus ad salutem prodesse negabat. circa annum 1120. Contrà Petrus Lombardus lib. 4. dist. 12.

15. PETROBRVSIANI negabant, Presbyteros & Episcopos in Altaris officio corpus Christi conficere, & aliis ad salutem animarum tradere. Corpus enim Christi semel tantùm, inquiunt, ab ipso Christo in cœna ante passionem factum est, & semel, (hoc est, tunc tantùm) discipulis datum est. Exinde neque confectum ab aliquo, neque alicui datum est. circa annum 1140. Contrà Petrus Cluniacensis in lib. cõtra Heinricianos.

16. Ex præcedenti hæresi necessariò sequitur, vt Transsubstãtiationem ne- Transsubstantiatio.

 gârint.

gârint. Quod etiam illis imputat Cluniacensis.

17. ITERVM illud efficitur, vt Eucharistia ne Sacramẽtum quidem sit mortis Christi, hoc est, vt nulla sit solennis & publica cõmemoratio mortis Christi inter Christianos; sed vt Ecclesia sit absq; proprio sui status, & noui Testamenti sacrificio. Illud verò est insigniter animaduertendum, quòd illorum hæresis, à Zuinglianorum & Caluinistarum differt. Quia Petrobrusiani cõcedebant, Christum saltem in cœna illa prima suum corpus confecisse: ac isti ne illud quidem concedunt. Ita in Ecclesia malignãtium, quod aliis est Euãgelium, aliis est hæresis.

Sanderus in Sect. 142.

Zuingliani & Caluinistæ Petrobrusianis peiores.

18. PETRVS Abailardus & Arnold. Brixiensis aiebant; Post consecrationẽ panis & calicis, priora accidentia, quæ remanent, pendêre in aëre. circa annum 1140. Contrà Petrus Lombardus lib. 4. dist. 12.

19. VVALDENSES authoritatem cõficiendi corpus Christi dicunt datam

esse etiam laicis, modò iusti sint. Presbyteros autem qui grauiter peccãt, nec Eucharistiam cõficere, nec alios à peccatis absoluere. circa annũ 1180. Contrà Concil. Lateran. sub Innocen. 3. ca. 1.

Dicunt idẽ & Lutherani stolidi.

20. ALBIGENSES Sacramẽta corporis & sanguinis Christi blasphemant. circa annũ 1200. Contrà Cõcil. Lateran. c. 1.

21. ALMARICVS, non aliter esse corpus Christi in pane Altaris, quàm in alio pane, & in alia quauis re. circa annum 1204. Contrà Innocẽt. tertius de sacro Altaris mysterio. ca. 8.

22. BEGARDI putabãt, imperfectionis fore, si ab altitudine contemplationis, ad ministerium humanitatis Christi, & Sacramentum Eucharistię attenderent: & ideò non esse assurgendum in eleuatione corporis Christi. circa annum 1310. Contrà Aluarus de planct. Ecclesiæ, lib. 2. ca. 52.

Nec Lutherani assurgunt, Caluinistæ pedibus terunt.

23. FLAGELLANTES Sacramentum Altaris corpus Christi non realiter cõtinere nugantur. circa annũ 1350. Contrà Durand. lib. 4. dist. 10. q. 1.

24. VVI-

24. VVICLEFVS Tranſubſtãtiationem, & realem Chriſti præſentiam in Euchariſtia cõdemnauit. circa annum 1394. Eandem Hieronymus Pragenſis, & ipſe ex parte VViclefiſta, iam moriẽs acerrimè defendit. Porrò quoties à Lutheranis aut Caluiniſtis quęrimus, quas origines Eccleſiarum ſuarum ędant, quoſque anteceſſores proximè ante ſe habuerint: ad VViclefum & Huſſitas mox confugiunt.

VViclefus hæreticorũ noſtri temporis pater.

„ acerrimè defendit. Porrò quoties à Lu-

25. HVSSITÆ à Concilio Baſilienſi in primo Articulo petebant, vt communio ſub vtraque ſpecie in regno Bohemiæ & Marchionatu Morauiæ liberè miniſtraretur. Qui quidem error non à VViclefo, neque à Ioanne Huſs, ſed à Petro Dreſenſe excogitatus eſt; Licet nonnulli Iacobellũ Miſnienſem huius hæreſis authorem conſtituant. circa annum 1415. Contrà Gerſon in Compendio Theologiæ, de Sacramẽto Euchariſtiæ.

Bonfinius Decad. 3. lib. 3.

26. ROCHEZANA Huſſitarum facilę princeps, etſi Romanæ Eccleſiæ ali-

Æneas Sylvius in Bohemiæ hiſtoria.

aliquando se subiecerat; tamen iterum rebellis, paruulis ac dementibus Christi sanguinem præbebat. circa annum *1430*. Contrà Antonin. part. 3. tit. 14. ca. *12*. §. Præcipuè furiosis.

27. ATQVE sic Dresensis ex parte VViclefista primus intulit necessitatem vtriusque speciei, quàm VViclefus nunquam docuit. Rochezana verò & ipse VViclefista, dementibus & paruulis Eucharistiam ministrauit; quod & Petrus Dresensis, non item VViclefus, approbâsse dicitur. Contrà; Vide hîc pulchram & piam admonitionem D. Sanderi in Secta *178*.

Quis primus intulerit necessitatẽ vtriusq; speciei.

Cõmunio dementium & paruulorum.

28. POSTEAQVAM verò Lutherus diuinum planè atque tremendum Eucharistiæ mysterium, ex Diaboli suasu & suggestione vndique impugnare cœpit, mox de apertissimis Christi verbis (Hoc est corpus meum) quibus corporis & sanguinis sui Sacramentum instituit, duodecim Sectæ subortæ sunt: circa annum *1549*.

ORDO & progressus hæresis nostri temporis in causa Eucharistiæ ex D. Sandero.

I. CA-

I. Carolstadius per pronomen (hoc) tãtùm Chriſti corpus viſibile intelligit.

II. Zvingliani pleriq; tantùm intelligunt, hunc panem.

III. Lvtherani & hunc panem, & inuiſibile Chriſti corpus.

IIII. Ioannes à Laſco per (hoc) intelligit actionem cœnæ Domini.

V. Adhæc Cratoaldus per (hoc) intelligit panem ſpirituale͂, qui deſcendit de cœlo; tanquam ita dixiſſet Chriſtus: Corpus meum eſt hoc, id eſt, panis quidem & cibus, ſed ſpiritualis & viuus, atq; ſic circa pronome͂ (hoc) quinque ſunt hæreſes.

VI. Sed Verbum, eſt, ait poni, pro ſignificat, quod ipſum defendit Beza contra VVeſtphalum.

VII. Oecolampadivs mauult (corpus) poni pro figura corporis, quod etiam Vireto placet.

VIII. Mvscvlvs verba ſingula propriè accipiens, ait eſſe prædicationem Sacramentalem.

IX.

IX. CALVINVS efficaciter ea verba Domini intelligit.

X. BVCERVS in vsu demum vera esse prædicat.

XI. BEZA negat poculum seu calicem (Luc. 22.) effundi pro nobis.

XII. SCHVVENCKFELDIVS intelligit (hoc est corpus meum) velut CHRISTVS dixisset; hæc est Deitas mea.

XIII. DENIQVE Petrus Martyr negat potentiam DEI ad hoc se extendere, vt corpus CHRISTI simul sit in multis locis. Non igitur priùs hæc hæresis perfectionem suam sortitur, quàm DEI Omnipotentia negetur. De quibus iam singulis ordine agetur.

29. LVTHERI error in hac controuersia is ferè præcipuus fuit, quo negabat, in Eucharistia vllam fieri Transubstātiationem; sed panem & vinum volebat vnà cum carne, & sanguine Domini adesse, velut CHRISTVS dixisset; Transubstātiatio.

vnà

vnà cum hoc pane, aut, in hoc pane, eſt corpus meum. circa annum *1549*. Contrà, Hanc interpretationem conſiſtere non poſſe, pluribus argumentis probat Sanderus in Sect. *204*.

30. BRENTIVS (alioqui Lutheranus) cùm Tranſubſtantiationis doctrinam ferre non poſſet, & tamen veram corporis Chriſti præſentiam in Euchariſtia conſtitueret, modum præſentiæ talem inuenit, vt diceret; Corpus Chriſti poſt aſcenſionẽ in cœlum, VBIQVE ESSE, atque illo modo in pane manducari, dum panis editur. Verborum, (edite, hoc eſt corpus meum) hanc putat eſſe interpretationem; Edite hoc, quod in pane eſt, illud enim eſt corpus meum. circa annum *1550*. Contrà Ioan. Heſsls à Louanio, in lib. de probatione corporalis præſentiæ corporis & ſanguinis Dominici in Euchariſtia, paulò poſt principium.

Vbiquitas.

31. LVTHERANI, quibus Vbiquitas nõ placet, interrogati, qua authoritate Chriſtum pani vniant, reſpõdent: eam

cor-

corporis Christi & panis vnionem esse, qualem Deus in Sacramento instituit: se aliud nihil statuere posse. circa annum 1550. Contrà Sanderus in Secta 205.

Vnio corporis Christi cum pane.

32. Cum Carolstadio nimis absurdũ videretur, vt Eucharistia ex pane triticeo, ac simul vera Christi carne constaret, ad illud confugit, vt diceret: Panem quidem ad manducandum à Christo proponi, Verba autem illa (hoc est corpus meum) non ad panem Eucharistię, sed ad corpus Domini, quod mensæ assidebat, pertinere. Eodem tempore. Contrà Sanderus in Sect. 206. probat, pronomen (hoc) ad visibile Christi corpus non referri.

33. Ioannes à Lasco Pronomen (hoc) nõ quidem præcipuè ad panem, (vt cæteri Zuingliani) sed ad totius cœnæ actionem retulit, velut dictum fuisset; Panem accipere, benedicere, frangere, distribuere, & mãducare, hoc totum est corpus meum. circa annũ 1550. Quam hæresin VVestphalus ait, Ca-

uinum quoq; defendere, ſed & Beza id pernegat. Qui autem defendunt eam, volunt pronomen (hoc) in his verbis, (Hoc eſt corpus meum) idē ſignificare, qđ in his (hoc facite). Et rectè; ſed vtrobiq; corpus Chriſti præcipuè & factum

In ſect. 207. oſtenditur, & fieri iubetur. Sanderus verò pronomen (hoc) ad totius cœnæ actionem præcipuè non referri, ſed ad corpus Chriſti, velut ad rem iam nunc confectam & permanentem in menſa Domini, vt mãducetur, grauiſſimis declarat argumentis.

34. Explosa tam Lutheranorum, quàm Carolſtadij & Ioãnis à Laſcofalſa opinione, ad id ventum eſt, vt ſaltem alius aliquis tropus ꝓpter numeri mu-

Tropiſtæ & Figuriſtæ. tationem, in ipſa enunciatione Chriſti quæreretur. Dum enim Sectarij plerique omnes volunt, pronomen (hoc) ſignificare nihil niſi hunc panem, dicunt ita rem ſe habere, ac ſi Chriſtus dixiſſet; Hic panis eſt corpus meum; vt ita dum duæ ſeparatæ naturæ ſimul copulantur,

tur, salua vtriusque substantia, hic panis in similitudine quadam significetur esse corpus Christi, & ita signum eius esse, quemadmodùm petra olim fuit. Quanquam enim Lutherani pronomen (hoc) & panem & corpus simul intelligi volunt, (quos satis ipse numerus singularis redarguit); tamē alij Pseudo Euangelici, per idem pronomen nonnisi panem verè ac naturaliter demonstrari dicunt; Corpus autem Christi non quidem per pronomen (hoc) demonstrari (cùm tamen solum CHRISTI corpus, ac non panis à CHRISTO nominetur), sed adumbrari volunt per modum quendam loquendi figuratum, Vnde Figuristæ & Tropistæ dicti sunt. Contrà, pronomen (hoc) in CHRISTI verbis non substantiuè accipi pro hoc pane, sed referri ad CHRISTI corpus, quod sub figura panis, vnà cum reliqua oratione CHRISTI, & facit, & factum demonstrat; copiosè docet Sanderus in Secta 208.

35. ILLVD Zuinglio in Carolstadij opinione placuit, quòd veritatem corporis Christi ab Eucharistia remouisset; non tamen placuit modus, quo illud fecit. Voluit enim Zuinglius verba Christi ad Eucharistiam referri, sed in eo sensu, tanquam Verbum substantiuum (est) in oratione Christi positum fuerit pro (significat). Nã à spectro suo (quod album ne an atrum esset ipse dubitabat) sed à spectro suo, sine controuersia diabolico, admonitus dicebat, illa verba (hoc est corpus meum) sic interpretanda esse, hoc significat corpus meum. circa annum *1550*. Quam interpretationem Beza contra VVestphalum defendit. Contrà Sanderus euincit, Verbum substantiuum (est) nũquam ex se vsurpari pro alio verbo cõposito.

Significatiui.

Sect. 109.

36. OECOLAMPADIVS nõ quidem hæresim Zuinglij deseruit, sed modum aptiorem excogitare conatus est, quo eãdem ꝓpugnaret. Dicebat igitur, nomen corporis Christi, positum esse pro

signo

ſigno & figura corporis Chriſti, atq; ita figuram dictionis conſtituit in prædicato & attributo, non autem in verbo (eſt.) Vnde etiam Viretus: Metonymiam, inquit, quam eorum aures in verbo (eſt) reſpuunt, collocemus in nomine (corporis) vt corpus accipiatur ꝓ corporis figura & ſignificatione, Cõtrà nomẽ corporis his verbis (hoc eſt corpus meum) propriè, ac non figuratè ſeu tropicè accipi, & cur hoc ita ſe habeat, variis rationibus oſtendit Sanderus in Sect. 210. Figura dictionis. Metonymia.

37. IOANNES Langus in Apologiã Iuſtini Martyris ad Antoninum Pium, annotationes ſcribens, non modò narrat, ſed etiam approbat Valentini Cratoaldi præceptoris ſui nouam & hactenùs inauditam de verbis cœnæ Domini opinionem; qua dixerat, propoſitionem iſtam, hoc eſt corpus meum, ita ordinandam; Corpus meum eſt hoc, videlicet panis (nam hunc demonſtrat) & cibus: ſed panis & cibus ſpiritualis & viuus, qui de cœlo deſcẽdit, ſicut Ioan-

nis 6. dicitur; Caro mea verè est cibus. Et ibidem Langus rationem suæ opinionis hanc reddit: Quia in Græca lingua articulus efficit, vt ea vox, cui is adiectus sit, subiecti, & altera prædicati locum obtineat: Articulum verò (τὸ) adiectum esse nomini, Corpus. circa annum 1550. Cōtrarium verò edocet Sanderus in Secta 211.

38. ID demum post hæc omnia tentata restabat, vt Tropistę absq; verbo Dei scripto, imò cōtra manifestam Scripturam tamen contendere non cessarent, suā opinionem esse veram, saltē ex natura & ꝓprietate Sacramenti, quod necessariò ex signo rei sacræ cōstat. Est eñ Sacramētum nihil aliud quàm sacrum signum. Quod autem signum corporis Christi sit, id ipsum Christi corpus non esse, præterq̄ in signo & Sacramentali modo. Ob quā causam VVolffgangus Musculus, quanq̄ in suis locis cōmunibus (sub titulo de cœna Dñi) fateatur, singula sacræ benedictionis verba propriè accipienda esse, tamē modum, inquit, prædicati non possum statuere

pro-

proprium,(nisi confusionem intollerabilem in hanc causam inducere velim) sed sacramentalem, Sacramento cõuenientem, vtpote panis, quatenùs est Sacramentum corporis Dñi. hactenus est corpus Dñi pro nobis traditum, ratiõe ac modo Sacramentis cõuenienti, quẽadmodũ ratione ac modo naturę ipsius naturaliter est panis. Hæc Musculus. Hic in Sect. 212. circa annum 1551. Contrà, per Sanderũ ratione certissima demõstratur, corpus Christi necessariò adesse in Eucharistia, idq́; secundùm rationẽ eius Sacramẽti, quod nouo testamento cõgruit.

39. Cvm Caluinus animaduerteret, Zuinglij, Oecolãpadij, ac cęterorũ opinionẽ habere in se permultũ absurdi, eò ꝙ rem ad veteres vmbras reducere viderentur: primus mortaliũ excogitauit hunc modum pręsentię corporis Christi, vt diceret, panem & vinũ, efficacia signa corporis & sanguinis Dñi esse, & ita Efficacia signa. efficacia, vt non solùm ꝑ fidẽ, sed re ipsa corporis Christi substantia manducetur, & sãguinis bibatur à spiritu nostro,

quoties cum fide panem illum edimus, & vinum bibimus: adeò vt etiam indignè manducantibus offeratur corpus Christi vnà cum pane & vino, licet ab illis (vt ait) non manducetur. Itaq; hæc Domini verba (hoc est corpus meum) sic interpretatur; Hic panis est signum efficax corporis mei. circa annum 1551. Contrà, corpus Christi in Eucharistiæ Sacramento non tantùm efficaciter à spiritu iustorum, sed substantialiter à corpore omnium communicãtium, & spiritualiter à spiritu iustorum accipi, vide hîc D. Sanderũ doctissimè differentem, in Sect. *213*.

40. CLAVDIVS Sainctes in doctrinę Caluinianæ examine tradit, LVDOICVM Alemani, natione Italum, Secta Zuinglianum, præstigias verborum, quibus Caluiniani vtũtur, animaduertentem, ad purum Zuinglianismum rediisse. Vnde has propositiones apud Lugdunẽses LVDOICVS edidit, Anno 1566.

I. IN

I. IN hoc Sacramento cœnæ nulla nobis ad edendum & bibendum datur substantia corporis & sanguinis CHRISTI.

II. NEQVE etiam per fidem, seu incomprehensibili modo, vt vocant.

III. QVIA hoc totũ imaginarium, & repugnat apertissimo Dei verbo.

IIII. HANC autẽ manducationem corporis & sanguinis Christi spiritualem tantùm esse contendimus.

V. CHRISTVS licet à suis fidelibus non sit absens, tamen constanter affirmamus, illius substantiale corpus non esse præsens in hac cœna. Hæc Ludoicus.

41. SCIENS Beza de sua & Caluini hæresi actum esse, si Euãgelium D. Lucæ incolume ac saluum consisteret; celeriter affuit sibi, & Euangelium dixit corruptum esse. Quid enim nisi corruptum esset, quidquid Bezæ opinionem oppugnaret? Sed ipsius verba in mediũ proferamus, qui in cap. Luc. *22.* ita scribit. Qui pro vobis effundetur τὸ ὑπὲρ

ὑμῶν ἐκχυνόμενον. Cùm hæc verba, si cõstructionem spectemus, necessariò non ad sanguinẽ, sed ad poculum pertineāt, neq; tamẽ de vino (nedum de poculo) intelligi possint; aut manifestũ est Solœcophanes, cùm dicendũ fuerit, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυμένῳ vt legit Basilius in Ethicis ἱερωκᾶ; aut potiùs cũ hæc essent ad marginem annotata ex Matth. aut Marco, posteà in contextũ irrepserũt, quod eò quidẽ faciliùs est admissum, quòd cũ in supiore versiculo adscriptũ esset, ὃ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον, id est, quod pro vobis datur, simile quippiã videtur adiiciẽdum fuisse, vbi agitur de sanguine. Sed neq; hoc additur apud Paulum 1. Cor. 11. c. 25 (qui tamen ex hoc loco videtur descripsisse cœnæ institutionẽ); neq; causam video, cur Solœcophanes Lucas vsurparet. Omnes tamẽ vetusti nostri codices ita scriptũ habent. Hactenus Beza. circa annũ 1555. Cõtrà defendit Sanderus, Calicem pro nobis (Luc. 22.) effundi non potuisse, nisi quia sanguis Christi effusus pro nobis in calice Dñi contine-

In Secta 2, 14.

tinebatur. Vbi etiã vera hæretici hominis natura & effigies describitur.

42. PRÆTER inconstantiã, qua Bucerus non modò à Monasticæ religionis voto ad seculum, & à Catholica fide ad heresin, verùmetiã à Luthero ad Zuinglium, & rursum à Zuinglio ad Lutherum defecit, ac transiit, illud ꝓpriè huic homini attribuitur, quod primus ꝑsuasit Luthero, corpus & sanguinē Christi non adesse in Eucharistia, nisi in Sacramentali vsu, hoc est, dum comeditur & bibitur. Dum eñi capita Lutheranæ & Zuinglianæ factionis VVittēbergæ cōuenissent, Anno Dñi 1537. ac viderent, suam discordiã maximè iam offensioni omnib. esse; tandē, auctore Bucero, cũ protestatione quadam subscripserunt huic errori, adesse quidē corpus, dum sumitur Sacramentum, nec vnquã prętereà. Contrà corpus & sanguinē Christi adesse in Eucharistia aliàs, quàm cũ manducatur & bibitur, & cur ita in hoc Sacramento eueniat, pulchrè explicat Sanderus in Sect. 215.

Bucerus Luthero persuasit primus Eucharistiã extra vsum nō esse Sacramētum.

In lib. de su plici statu Christi. 43. SCHVVENCKFELDIVS docuit, Christi corpus in cœlos assumptū, planè Deum esse factū: & ita in cœna Domini adesse quidem corpus Domini; sed quod iam sit diuina essentia. circa annū 1557. Contrà Matth. 26. Luc. 22.

Staphil. de Con. ord. Luthera. 44. LVCAS Sternbergerus Eucharistiæ Sacramentum (vt in more positum habent plerique Sacramentarij) blasphemè irridere solitus, quodā die cōmunicaturus, ad sodales, qui minùs frequentes conuenerunt, dixit; Venite huc, non enim solus possum illum deuorare. Cōtrà Basil. Magnus in Sermo. 2. de Baptismo ca. 3.

45. PETRVS Martyr contra Stephanum Gardinerum Vintoniensem Episcopum, post obiectionē vndecimam, ita scribit; Querimur vos dicere, corpus Christi esse in multis locis, quodq; Dei potentiam obiiciatis, cùm hoc ex illarum rerum sit genere, ad quas potentia Dei se non extendit; nempè, vt multis locis, eodē tempore, corpus humanum, salua natura sua, diffundatur.

tur. Hæc ille, Anno *1557*. Negat igitur Deum posse facere, vt corpus Christi manens semper (vt verè manet) verum corpus Christi, sit eo modo simul in pluribus locis, quo in Eucharistia id esse Catholici atque etiam Lutherani credunt. circa annum 1560. Contrà Sanderus validissimis rationibus demonstrat, nullam esse in iis articulis omnino contradictionem, si quis dicat; Corpus Christi esse in cœlis, & simul esse in omnibus iis locis, vbi panis ritè cõsecratur in corpus Christi, in Sect. *218*.

Hæreses Protestãtiũ circa perceptionẽ Eucharistiæ.

46. PROTESTANTES aiũt, nemini licere, Eucharistiam, absque aliis simul participaturis, pcipere: alioqui cõmunionem illam non esse, quam solus quispiam capit. circa annum *1561*. Contrà Sanderus docet, Eucharistiam ab vno solo participatam, verè communionem esse, tam cum Christo, quàm cum Christi membris.

Inconstãtia Lutheri de vnius aut vtriusq; speciei necessitate.

47. TAM Lutherani, quàm Zuinglani, & Caluinistæ dicunt, iam nemini licere, alteram Eucharistiæ speciem sine

sine altera sumere, quia Christus vtrãq; simul instituerit, & tradiderit. In qua re se Nestorij sectatores esse ostendũt. Sed quidnam Christus instituerit, ij nunquam rectè scire possunt, qui deserta Ecclesia, in qua Christi Spiritus habitat, Christi fidem in Antichristi Synagoga exquirunt.

48. Vt aũt liquidò appareat, quanta cum incõstantia hoc ipsum, quo de agitur, Lutherus docuerit, sciendum est, eum ab initio scripsisse ad Bohemos, Christum de vtraque specie nihil tanquam necessarium præcepisse. Debere igitur illos pacem Ecclesiæ sectari, nec de Sacramenti speciebus contendere.

49. Deinde in articulis per Leonem Papã condẽnatis affirmauit, Bohemos ob vtriusq; speciei vsum Schismaticos quidẽ esse, non tamẽ etiam hęreticos.

50. Tvm aũt optauit, vt liber vtriusq; speciei vsus non quidem à priuatis, sed in Cõcilio generali decerneretur. Itaq; in captiuitate Babylonica: Non hoc, inquit, ago, vt rapiatur vtraque species, quasi

quasi necessitate præcepti ad eam cogamur. Et paulò antè; Non peccant, inquit, in Christum, qui vna specie vtuntur. Pulchrum videretur, si generalis Concilij statuto, cuiq; suum arbitrium relinqueretur.

51. At non longè pòst, in Formula Missę VVittenbergēsis; Simpliciter, inquit, iuxta institutū Christi vtraq; species & petatur, & ministretur, Concilia nec morari, nec audire volumus in his, quæ manifestè sunt Euangelij. Quin ampliùs dicimus, inquit, si quo casu Concilium propria authoritate id statueret, aut permitteret, tūc minimè omnium nos velle vtraque specie potiri. Imò tunc primùm in despectū tam Cōcilij, quàm statuti sui, vellemus aut alterutra tātùm, aut neutra, & nequaquā vtraque potiri, ac planè eos anathema habere, quicunq; authoritate talis Cōcilij vel statuti vtraq; potirentur. Cōtrà Sanderus fortissimè defendit alterius speciei participationē ei sufficere ad salutē, qui Eucharistiam non consecrat.

52. Cal-

52. CALVINVS in sua vltima admonitione cōtra VVestphalū, & Schvvenckfeldius in libello de hac quęstione inscripto, negāt à Iuda Ischariote verum corpus Domini acceptū, in cœna Domini. circa annum 1563. Quod siue ita dixerint, velut Iudas nō id symbolum acceperit, quod cæteri Apostoli, seu quòd non putent, malos veram corporis Domini substantiam capere: vtroque modo falsum est. Nam cōtrarium dicit Scriptura, Matthæi 26. Matth. 10. Marci 14. 1. Corinth. 11. & Augustinus in epist. 162.

VIII.

EVNVCHI.

VALESII dicebant, necessarium esse ad bene Deo seruiendum, vt quisque esset Eunuchus, & castratus, ideoque se ipsos, & discipulos suos exsecabant. circa annum 190. Contrà Clemens in 3. Stromat. tractans illud Isai. 56. Ne dicat Eunuchus lignum sum aridum.

Augustin. hær. 37.

IX.

IX.

EXEQVIAE.

ALBIGENSES quidquid beneficij mortuis à viuis impenditur, irridẽt. circa annum 1200. Contrà Innocent. III. de sacro Altaris mysterio lib. 5. ca. 5.

X.

EXCOMMVNICATIO.

1. PETROBRVSIANI ridebant excommunicationes sacerdotum. circa annum *1144*. Contrà Petrus Lombard. lib. 4. distinct. 18.

2. ALBIGENSES dicebant, quòd Ecclesia non potest excommunicare, nec malos persequi. circa annum *1200*. Contrà Innocent. III. extrà de sentẽt. excommunicat. c. à nobis.

CLASSIS HÆRESVM SEXTA.

F. G. H.

FATVM.

1. 
IMON Magus liberum negans arbitrium, omnia Fato assignabat. circa annum *50.* Contrà Paulus ad Philemonem.

Augustin. hær. 35. *2.* BARDESANVS ex Valētini schola prodiens, humana omnia Fato asscripsit. circa annum 160. Contrà Iustin. in Apolog. *1.*

Socrat lib. 1. cap. 17. *3.* FATVM Manichæus introducit, quod in nostra situm est potestate, tollit. circa annum *275.* Contrà Minutius Felix in Dialogo, quem inscripsit Octauium.

4. MANICHÆI in illa Genealogia Christi apud Matthęum, & stella inducitur, dicebant confirmari Genesim. i. Fatum. circa annum 410. Cōtrà Augustin. aduers. Faust. lib. 2. ca. 5.

II.

FIDES.

Hæresis de sola fide antiquissima. *1.* PSEVDOAPOSTOLORVM quidam, ad salutem obtinendam sufficere solam fidem putauerunt; Quia Paulus dice-

diceret, iustificari hominem sine operibus legis, ex eoq; opera iustitię neglexerunt. circa annũ 60. Contrà, August. de fide & operibus, cap. *14*. & in lib. de vnico Baptismo, contra Petilianũ c. *10*.

2. ACTORVM 13. Elymas Magus quærebat auertere Paulum Proconsulem à fide. circa annum 65. Quem contrà Paulus ibi Diaboli filium appellauit, & eum cæcum fore prædixit, quod & factum est.

3. HYMENÆVS & Phyletus à veritate exciderunt, dicentes, Resurrectionem iam esse factã, & subuerterũt quorundam fidem. Eodẽ tempore. Cõtrà, hos D. Paulus tradidit Satanę, vt discãt non blasphemare. 2. Timot. 2. 1. Timot. 1.

4. BASILIDIS sectatores, fidem esse naturalem existimant. circa annũ *110*. Contrà Dionysius Areopagita in lib. de diuinis nominib. ca. 7. Clemens Stromat. lib. 2.

5. EVNOMIVS fertur vsq; adeò esse bonis moribus inimicus, vt asseueraret, quòd nihil cuiquã obesset quorũlibet perpetratio ac pseuerantia pecca-

torum;si huius, quæ ab illo docebatur, fidei particeps esset. circa annum 363.
" Nonnehoc idem Lutherani, & Calui-
" nistæ docēt, cùm nos ab omnibus pec-
Lutherani & Caluinistæ, Eunomiani. " catis, per fidem solam, hoc est, per ge-
" nus quoddam fiduciæ, quam ipsi soli
" docent, iustificari contendunt? Quam fidem qui habet, eum, quidquid delinquat, securum de vita æterna esse iubēt. Cōtrà Cyrillus Hierosolymitanus Catechef. 15. & Basilius constitut. Monasticæ cap. 35.

6. BOGOMILI aiunt, licere fidem simulare, vt se à morte liberēt. circa annum 1080. Contrà Theophylact. in ca. 10. ad Rom. & in 1. Tim. 6.

7. PETRVS Abailardus & Arnoldus Brixiensis, asserebant fidem sine ratione admittendam non esse. circa annum 1140. Contrà Anselmus in lib. cur Deus homo. cap. 2.

8. HINC fidem definiebant æstimationem. Contrà Bernhardus in epist. 190 Fidem non ęstimationem, sed certitudinem dicit.

9. HER-

9. HERMANNVS Risuich à fide Christianà penitus defecit, eam totam velut stultam accusans, & Aristotelis doctrinam Christianæ gratiæ ac veritati præferens. circa annum *1050.* Contrà Hieronym. Sauanorola, de Triumpho crucis Christi, lib.3. cap.*3.* 4.*5.* & deinceps, doctissimè probat, nullã religionem perfectiorẽ, aut rectæ rationi consentaneam esse posse. Bernhard. Lutzenbur.

10. PRIMA & maximè propria Lutheri hęresis hęc erat, Solam fidem, etiam ante infusam dilectionem Dei, iustificare. Idem Lutherus in disputatione sua de illo Domini verbo Luc.*7.* Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum: Fidem formatam cha- „ ritate Catholici iustificare dicunt. Sed „ hos Lutherus negat intelligere quic- „ quam istarum rerum. circa annũ 1525. „ Contrà, iustitiam fidei non fieri nisi per illam fidem, qua cum charitas in cordibus nostris per Spiritum sanctum diffusa concurrit, rectè docet Caietanus.

Rom. 8. Vnde Lutherus dicerit hæresim suam de fide speciali.

11. APPREHENSIONEM Christi per fidem, non vult Lutherus sub vlla conditione ad se applicari, velut Christus nō saluet, si cōpatimur, aut si obedimus ei, prout tenemur, sed absolutè quemlibet fidelem de sua salute certum esse vult, ac firmiter statuere, sibi priuatim remissa esse peccata, & hanc esse fidem quæ iustificet. Eodem tempore. Cōtrà, Hoc axioma Lutheranorum aduersari scripturis, probat Hosius contra Brentium lib. *1.* Caietanus de fide & operibus ca. 2. & 3. Michaël Baius de iustitia & iustificatione, lib. 1. cap. 3. Hessels de fide speciali.

12. ANABAPTISTARVM aliqui satis esse volunt, vt fides clàm asseratur; eandem verò palàm negari posse. circa annum *1544.* Contrà Rom. *10.* Ore fit cōfessio ad salutem.

13. CVM Lutheranorum aliqui, infantes per Baptismum saluos fieri, & propterea gratiam accipere concederent; partim coacti sunt dicere, infantes habere fidem, cùm tamen fatean-

tur,

tur, eos non intelligere doctrinam fidei: partim nescierunt prorsus quid dicerent. circa annum *1541*. Contrà Sanderus hîc de inconstantia Lutheranorum de fide baptizãdorum infantium. in Secta *203*.

14. BRENTIVS quidem ante Kemnitium illud omnium acerrimè defendit, singulos obligari, vt suum iudicium adhibeant, in discernendo cuiuscunque Doctoris aut Concilij etiam Oecumenici doctrinam, nec aliter eam sequi debere, quàm si ipse iudicauerit, eã cum Euangelio consentire. Cuius audaciam Kemnitius approbans, non exhorruit quatuor libros conscribere, quos Examen decretorũ Concilij Tridentini inscripsit. circa annum *1569*. Contrà, Quomodò spiritus sint probãdi, aut de fide ac doctrina iudicandum esse videatur, eleganter tradit Sanderus in Sect. *226*.

15. LVTHERANI docent, fidem amitti peccato. Cõtrà, Alphons. de Castro lib. 7. titulo Hæreticus. hæres. 3.

III.

FORNICATIO.

Bernhard. Lutzenbur. 1. FRATRICELLI(quorũ dux Hermannus quidã Italus fuit) promiſcuos cõcubitus in locis occultis exercebant. Alij quoque in alpibus eandem fœditatem (Dulcino quodam duce) exercuerunt. circa annum 1303. Contrà Bonifacius octauus Fratricellos dãnauit, Dulciniſtas verò ad internecionẽ Clemens V. deleuit.

2. BEGARDI dicebant, oſculũ mulieris(cùm ad hoc non inclinet natura) eſſe mortale peccatum. circa annum 1305. Cõtrà Alpharus de planct. Eccleſiæ lib. 2. ca. 52.

3. ACTVM verò carnalem (cùm ad hoc natura inclinet) nõ eſſe peccatum, maximè cum tentatur exercens. Contrà, idem Alphar. ibid.

4. ANABAPTISTARVM aliqui viros & fœminas in eodẽ lecto dormire volebant. circa annum 1544. Contrà Eccleſ. 13. & 1. Corinth. 15.

IIII.

IIII.

FRATRES.

DIOTREPES verbis garriens in Apostolos, prohibebat suscipere fratres, & eos, qui recipiebant, de Ecclesia eiecit. circa annum 68. Contrà Ioan. 3.

V.

FVTVRVM CONTINGENS.

PETRVS Abailardus docebat, nihil cõtingens in rebus euenire, sed omnia quæ fiunt, necessitate absoluta fieri. circa annum 1140. Quam hæresin posteà secutus est Ioan. VViclef. dicẽs; Potentiam Dei & actualem creationem esse eiusdem mensuræ, ita vt non possit plures res creare quàm creat, nec aliter res facere, quàm fecit. circa annum 1394. Denique eundem errorem amplexus est etiam Lutherus, dicens; Omnia quę fiunt, tam absoluta necessitate fieri, vt impossibile sit aliter fieri, quàm fiunt. Contrà Alphonsus de Castro hîc eodem titulo.

Alphons. de Castro, aduers. hæres. lib 7. in tit. Futurũ cõtingens.

VI.

GRATIA EVANGELICA.

1. PSEVDOAPOSTOLI Euangelicã gratiam dicebant, meritis suis debitam fuisse, eò quòd Iudęi cognominarẽtur, Roman. 2. quodq; in Deo gloriantes confiderent se habere formam scientiæ & veritatis in lege. circa annum 60. Augustinus ad Simplicianum lib. 1. quæst. 8.

2. TVNC temporis subtroierũt quidam, Dei gratiam transferentes in luxuriam, & solum dominatorẽ, & Christum negantes. Eodem tempore. Contrà Iudas in sua Epistola.

August. de hær. ca. 88. 3. IOVINIANVS docebat, eos, qui plena fide per Baptismum renati sunt, non posse posteà peccare. circa annum 360. Cõtrà Alphons. de Castro, aduers. hæres. lib. 7. in titulo, de Gratia.

4. PELAGIANI & Celestiani, sine gratia Dei, dicũt, hominem per liberũ arbitrium posse facere (licet non tam facilè) omnia diuina mandata, si velit. circa annum 415. Contrà Concilium Mileuitan. ca. 5.

5. PRÆ-

5. PRÆTEREA dicebant, gratiam Dei, qua liberamur ab impietate, ſecūdùm merita noſtra dari. Eod. tempore. Bene addit Auguſtinus (qua liberamur ab impietate) quia hoc verè Pelagianum eſt, vt quis dicat, primam gratiam, ſiue illam, qua impius fit iuſtus, ſecundùm merita dari, quod nemo Catholicus vnquam ſenſit, licet Proteſtantes eiuſmodi calumniam nobis impingant. Contrà Auguſtinus de gratia CHRISTI aduerſùs Pelagianum lib. 1, capit. 44. Auguſtin. hær. 88.

6. ALII ex Pelagianis exiſtimabãt, adiuuari gratia Dei eum, qui cœpiſſet velle, non etiã donari vt velit. circa annum 440. Cõtra hunc errorem D. Auguſtinus ſcripſit librũ priorem de prædeſtinatione Sanctorum.

7. ID ETIAM Pelagius arbitrabatur, velle Deũ omnes homines ſaluos fieri, vt nullus habeatur exceptus, ſed ꝓpitiationem, q̃ eſt in Sacramento ſanguinis Chriſti, vniuerſis hominibus ſine exceptione eſſe propoſitã. circa annũ 446.

Con-

Contrà Auguſtinus de bono perſeuerantiæ cap.*17*.

VII.

GLADIVS.

STEBLERI docent, nec gladium nec peram portandam, nec in iudicio quenquam accuſari debere. circa annum *1544*. Contrà 1.Petri 2. 2.Ioan.7. *1*.Corinth.*11*.

VIII.

HAERESIS.

1. RHETORIVS quidam laudabat omnes hæreſes, tanquam omnes bene ſentirent. circa annum 358. Cõtrà Philaſtrius Brixiẽ. Epiſcopus, in Catalogo hæreſeon.

2. RAYMVNDVS Lullius dicebat, iniuriam eos facere, qui punirent hæreticos. circa annum *1260*. Thomas 2. 2.quæſt.*11*.artic.3. Alphõſ. de Caſtro in lib.de iuſta punitione hæreticorum.

3. TEMPORE Gregorij Papę XI.fuerunt, qui dicerent, illum eſſe cenſendum hæreticum, qui quouis modo lethaliter

thaliter peccat. Quam hæresim idem Gregorius, habito priùs pleno (vt decebat) doctorum virorum consilio, dãnauit. Vnde hanc assertionem velut hæreticam, & à vera Catholicæ fidei regula deuiantem confutat Alphonsus de Castro, in titulo de hæretico, hær. 3.

IX.

HOMO.

1. PATERNIANI partes corporis inferiores à Diabolo factas opinantur. Augustin. hær. 85.
circa annum 355. Hos quidam Venustianos vocant, qui omnium vitiorum licentiam illis partibus tribuunt. Contrà Cyrillus Hierosolymitanus in Catechesi 9.

2. MANICHÆI corpora humana opificium dicunt esse Gentis tenebrarum, non Dei. circa annum 410. Idem argumentum tractat Faustus in lib. 24. cap. *1.* Contrà Augustin. aduersùs eundem lib. 26. cap. 22.

3. PRISCILLIANISTÆ plasmationem corporum Diaboli esse figmentum,

tum, & ideò ea non resurgere dicunt. circa annum 456. Contrà Leo in epistola 91. ca. 8.

X.

HORAE CANONICAE.

ÆNEAS Syluius in libro de origine Bohæmorum testatur VValdenses docuisse, in horis Canonicis cantandis dicendisq; frustra tempus teri. circa annũ 1180. Eundẽ errorem suscitauit posteà Ioan. VViclef, dicens, quòd licet sit bonum orare, non est tamen æquũ vt homo arctetur ad orãdum certo & determinato tempore, quia, vt dicit, hoc repugnat libertati Christianæ; sed ait liberũ esse debere cuilibet, vt oret cùm voluerit. circa annum 1394. Cõtrà Alphons. de Castro aduers. hæres. lib. 7. in tit. de horis Canonicis, hæres. vnica.

CLASSIS

HÆRESVM

SEPTIMA.

I.

I.

IDOLOTHYTA.

PSEVDOAPOSTOLI inflati sciẽtia, quæ propter absentiam Charitatis non ædificauit, docebant, Idolothyta posse mãducari, eò quòd Idolũ nihil esset. circa annũ 60. Contrà *1*. Cor. 8. 1.

2. NICOLAITÆ docebant, indifferẽter mœchari & idolothytũ edere. circa annum 80. Contrà Apocalyp. 2. Irenæ. li. 1. ca. 27.

II.

IEIVNIVM.

MONTANVS introduxit tres Quadragesimas, quasi tres passi sint Saluatores. Et hæc noua sunt ieiunia, quæ Theodoretus narrat Montanum, præter Ecclesiæ consuetudinem, introduxisse. circa annum *175*. Cõtrà Hieron. ad Marcellam. Hieron. ad Marcellam.

2. EVSTACHIVS in die Dominico ieiunandum docuit. circa annum 328. Contrà Concilium Gangrense can. *6*. & 20.

3. Ev-

Lutherani & Caluinistæ, Eustachiani.

3. EVSTACHIANI ieiunia præscri-
» pta auersabātur. circa annū 320. Quod
» Lutheranos & Caluinistas hodie pas-
» sim facere, certissimū est. Contrà Con-
cil. Gangren. can. *19*.

Protestātes Iouiniani.

4. IOVINIANVS dicebat, Ieiunia, vel à cibis aliquibus abstinentiam, non prodesse, nec vllius apud DEVM esse
» meriti. circa annū 360. Hoc idem, quo
» ad animæ salutem, Protestantes affir-
» mant. Contrà Hieron. aduersùs Iouinian. lib. 2.

Augustin. hær. 53.

Sunt etiā Lutherāi & Caluinistę Aëriani.

5. AERIVS negauit, statuta solenniter celebranda esse ieiunia, sed cū quisque voluerit ieiunandum, ne videatur
» esse sub lege. circa annum 370. Hoc idē
» Lutherani & Caluinistæ dicunt. Contrà Ambrosius in Sermo. *34*. Hieron. in epist. *54*. Phylastrius in Catalogo.

6. MANICHÆI die Dominica ieiu-
» nabāt. circa annum *410*. Quod & quos-
» dam nostri temporis hæreticos facere
» compertum est. Contrà Ambros. epi-
» stola 83.

7. IE-

7. IEIVNIVM Artziburtzi colunt, in memoriam canis à dæmone inhabitati, quo Sergius eorum Doctor, velut duce itineris aut potiùs præcursore vtebatur. circa annum *604*. Contrà, Isidorus de summo bono lib. 2. ca. 44.

8. VVALDENSES Ieiunia Ecclesiæ cõtemnunt. circa annum *1180*. Contrà, Innocent. III. extrà de obseruatione ieiuniorum c. Consilium. Contẽnunt eadem Lutherani.

9. BEGARDI dicebant; hominem ieiunare nõ debere, nec orare; Quia sensualitate spiritui subiecta, possit corpori concedere quidquid placet. circa annum *1310*. Contrà, Aluarus de planctu Ecclesiæ lib. *2*. ca. 52.

10. FLAGELLANTES asserunt; ieiunia per sacerdotes indicta non esse obseruanda, nisi tantùm Vigiliam natiuitatis Domini, & Assumptionis beatæ Mariæ. circa annum *1350*. Cõtrà Ioannes Belethus de Officiis diuinis, ca. 8. q. *10*. & *11*.

III.

IMAGINES.

Epiphan. hær.27.

1. CARPOCRATES sacrificabat imaginibus tanquam diis. circa annum *120.* Contrà Iustinus in Apologia 2.

2. MANICHÆI nullas Christi externas imagines ferebant. circa annũ 410. vt nec hodie Caluinistæ ferunt, cùm Christiani semper sacras imagines fabricârint. Contrà ibidem.

Nicephor. li.16. c. 27.

3. XENAIAS Persa nondum baptizatus, & tamen pro Episcopo se gerens, primus vocem illam euomuit, Christi & Sanctorũ imagines nõ esse venerandas. circa annũ 720. Cõtrà Theodoret. in historia Sanctorum Patrum. ca.26.

Nicephor. lib.18.

4. CHAZINZARII (& ipsi Armeniorum pars) etiam Nestoriani sunt, & solam crucem (non etiam alias sacras imagines) venerantur. circa annum 603. Contrà Gregorius lib. 9. Indict. 4. Epistola 9.

5. ETSI Xenaias docuit, imagines nõ esse venerandas; tamen illa eius hæresis non est illo seculo pertinaciter defensa, nec etiam latè propagata. Primus igitur qui & Sanctorum imagines

nes venerandas negauit, & authoritatem suam ad easdem palàm deponendas atque igni mandandas interposuit, erat LEO Imperator, qui ex ea re Iconomachus est cognominatus, velut imaginum sanctarum impugnator. circa annum 707. Contrà Ioan. Damascen. qui eo tempore tres libros Apologeticos contra sanctarum imaginum criminatores doctissimè conscripsit. Paulus Diaconus & Zonoras in vita eiusdem Leonis.

6. CLAVDIVS Taurinensis Episcopus Felicis Nestoriani discipulus, picturas rerum sacrarum, & cruces materiales euertit, nec vllo genere aut modo adorationis dignas iudicauit. circa annum 825. Contrà Ionas in lib. de cultu imaginum.

7. FLAGELLANTES dicebant; Sanctorum imagines & CHRISTI crucem non esse adorandam. circa annum 1350. Contrà Durandus lib. 3. distin. 9. quæst. 2.

IIII.
INDVLGENTIAE.

Has etiam Lutherani & Caluinistæ irridẽt.

VVALDENSES irrident indulgentias per Prælatos Ecclesiæ datas. circa annum *1190*. At illas contritis & confessis, virtute clauium Christi rectè dari, Cõcil. Lateranen. sub Innocent. III. docuit ad fin.

V.

INFERNVS.

1. ORIGENISTÆ docent, inferni pœnam non esse perpetuam. circa annum 240. Contrà, Marci *9*.

2. PHYLASTRIVS narrat quandam fuisse hæresim dicentem, quòd Christus suo descensu ad inferos hoc illis indulserit, vt ibidem cõfitentes saluentur. Contrà, Marc. *9*.

Alphõ. hoc loco hær. 2.

3. SIC ARMENI (vt Guido refert) asserunt Christũm, cùm ad inferos descendit, omnes animas inde eduxisse. Sed & hæc allegato repugnant loco Marci *9*. & aliis quæ hîc inducit Alphons. de Castro, hæres. *1*. & *2*.

4. ALBIGENSES infernum nihil esse docent. circa annum 1200. Contrà,

Con-

Concil. Lateranen.can.*1.* Quem errorem Bernhard. à Lutzenburgo asscripsit Almarico asserenti,nullum esse infernum, sed qui habet peccatum mortale, illum dicit habere in se infernum. Sic Guido refert Albanenses sentire, non esse alias inferni pœnas, quàm illas,quas in hoc mundo experimur. Cõtrà Esai. vltimò. Eccles. 7. cũ aliis multis, quæ huc citat Alphons. de Castro eodem loco, hæres.*1.*

5. ALIA hæresis negat omninò Christum ad inferos descendisse. Quam Isidorus inter hæreses recenset, quamuis nullum huius erroris prodat authorem. Contrà Alphons. ibid.hæres.3.

VI.

INIMICVS.

GRÆCORVM error est, quo asserunt, licitum esse decipere inimicum, nec esse peccatum aliquod, si quis suo inimico damnũ inferat, etiamsi ad hoc faciendum periuriis, aut quouis mendacio iuuetur. Et hunc Guido 25.Græ-

corum errórem esse dicit. Contrarium probat Alphonſ. de Caſtro lib. 8. aduerſùs hæreſes eod. tit. hær. vnica.

VII.

INIVRIAE.

LVTHERI ſententia eſt; non licere Chriſtianis iniuriarum agere in iudicio. Contrà Alphonſ. de Caſtro hoc eodem titulo.

VIII.

IVDAS.

AVGVSTINVS in lib. de hæreſibus cap. *18.* refert Caianos ſentire, Iudam fuiſſe diuinum, & ſcelus illius beneficium exiſtimare. Dicunt enim, Iudam præſciſſe, quantū generi humano Chriſti paſſio eſſet profutura, & ideò Chriſtum Iudęis tradidiſſe, vt per illius mortem genus humanum proficeret. circa annum *159.* Contrà Ioan. *13.* Vos mundi eſtis, ſed non omnes.

IX.

IVDEX.

VVALDENSES vt tutiùs ſuos errores

rores possint hominibus suggerere, hoc ante omnia docere nituntur; nullum iudicem posse alium hominem ad aliquam pœnam damnare. Quòd scriptũ sit; Nolite iudicare, & non iudicabimini. circa annum *1180.* Contrà Exod. 18. Deuteron. *16.* Rom. 13.

X.

IVDEX IN CAVSA Fidei.

BRENTIVS quidem, ante Kemnitium, illud omniũ acerrimè defendit, singulos obligari, vt suum iudicium adhibeant, in discernẽdo cuiuscunq; Doctoris, aut Concilij etiam Oecumenici doctrinam, nec aliter eam sequi debere; quàm si ipse iudicauerit, eam cum Euangelio consentire. circa annũ *1567.* Cuius audaciam Kemnitius approbãs, scripsit suos libros cõtra decreta Concilij Tridentini. Contrà Sanderus in Sect. *226.*

XI.

IVDEX VENTVRVS.

QVIDAM Eudo Ecclesiis & Monasteriis infestus, dicebat, se esse eum, qui venturus est iudicare seculum per ignem. circa annum 1160. Cõtrà, Otto Frisingen. de Friderici rebus li. 1. ca. 55.

XII.

IVDICIVM SIVE POTEstas iudicandi.

1. VVALDENSES nullum omninò iudicium sanguinis, aut cuiuscunque corporalis supplicij ferunt, quia scriptũ sit: Nolite iudicare. circa annum 1180. „ In hoc etiam à Protestantibus dissen„ tiunt VValdenses, nec ad eandem Ec„ clesian vtriq; pertinent. Contrà, Ioan. Sarisbenensis in Polycratico li. 4. ca. 2.

Bernhard. Lutzenbur. 2. NICOLAVS Galecus Hussita prçter VVICLEFI errores, hîc illum de suo adiecit; tempore nouæ legis nullum in iudicio esse occidendum, quia nouum Testamentum id non dictet. circa annum 1433. Contrà, Gerson in compendio Theologiæ de decem Prçceptis. Dionys. Ricel. Carthus. in cap.

13. ad Roman. Exod. 22. Maleficos non patieris viuere.

3. STEBLERI docent; nec gladium, nec peram portandam, nec in iudicio quenquam accusari posse. Cõtrà, *1*. Petri *2*. Ioan. *12*. *1*. Cor. *11*.

XIII.

IVDICIVM EXTREMVM.

1. PSEVDOAPOSTOLI terrebant Thessalonicenses, quasi instaret dies Domini. circa annum *6*0. Contrà 2. Thessalon. *2*.

2. AGNOITÆ, (quorum dux Themistius Diaconus Alexandrinus erat) dicebant; Christum ignorare diem iudicij, quia scriptum sit; De die illo, vel horà nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater. circa annum 5*2*0. Cõtrà, Eulog. Patriarcha Alexandrin. contra Agnoitas scripsit ad Gregorium Papam. Cui idem Gregorius respondit, lib. 8. Indict. 3. cap. 47. Marc. 13.

XIIII.

IVRAMENTVM.

1. PSEVDOAPOSTOLICI omne iuramentum dicebant esse illicitum, vt author est Guido Carmelita. circa annum *1150.* Contrà Theophylact. in ca. *6.* ad Hebræ.

2. VVALDENSES quoque omne iuramentum prorsus illicitum esse dicunt. Quæ hæresis apud Bernhard. Luzeburgum propriè attribuitur Insabbatatis, siue illi omnino iidẽ sunt cum VVALDENSIBVS, siue pars & secta VValdensiũm. circa annum 1180. Ve-
„ rùm nec in ista hæresi Protestantes no-
„ strorum temporũ cum VValdensibus
„ cõsentiunt. Contrà Concil. Lateranen.
„ sub Innocent. III. ad finem ca. *3.*

3. VVICLEFVS artic. *43.* asserit, iuramenta illicita esse, quæ fiunt, ad roborandos humanos contractus, & cõmercia ciuilia. circa annũ 1394. Nec istum Articulum puto Protestãtibus placere. Contrà Lyranus in cap. *6.* Deuteron.

Alphons. de hæres. lib. 8. titulo de iuramento hær. 2.

4. ECONTRA Priscillianistæ (vt refert Augustinus in libro de hæresibus) docebant discipulos suos, vt iuramẽto interro-

interrogati & requisiti nihil vnquã reuelarẽt de illorum doctrina,& ad illius doctrinæ occultationem dicebant esse licitum periurium; quapropter hanc semper in animo versabãt sententiam; Iura, periura, secretum prodere noli. circa annum 450. Contrà Leuitic.19. Sapient.14. Matth.10. Marc. vlt. Rom. 10. 2. Cor. 4. 1. Timot. 1. Bernhard. Serm. 65. & 66. super Cant.

XV.

IVSTITIA.

1. PER nimiam sanctitatẽ securamque iustitiam audacter vobis cœlestia dona vẽdicatis, inquit Hieron. aduers. Pelagian. lib. 3. circa annum 415. In qua ,, etiam fiducia, de sua imputata iustitia, ,, Protestantes securos se faciunt de re- ,, gno cœlorum. Contrà Hierony. lib. 2. ,, ibid. Augustinus de corrept. & gratia cap. 6. Omnes, inquit, etiam qui benè currunt, timeant, dum occultum est, quô perueniant. Protestã- tium securitas de iustitia imputatiua.

2. PETRVS Abailardus & Arnoldus Brixien. docebãt, filium Dei nõ assumpsisse

psisse carnem, vt hominem liberaret, sed vt institueret, charitatemque suam ostenderet. circa annū 1140. Quæ opinio eò tendit, velut Christus iustitiam non infundat, quæ nos liberet, nostrisque cordibus inhæreat, sed solùm sit exemplaris quædam causa iustitiæ nostræ. Contrà, Bernhard. in epist. 190.

Primus iustitię imputatiuæ auctor.

3. PETRVS Ioannes, Ioachimi Abbatis discipulus, gratias & virtutes in Baptismo infundi negabat, imputatiuę tantùm iustitiæ primus (vt videtur) auctor. circa annum *1220*. Contrà, Concil. Viennen. ca. *1*. de summa Trinitate.

In disputat.

4. LVTHERVS iustitiam nostram in sola peccatorum remissione constituebat, absque interioris hominis innouatione ad ambulandum in operibus bonis. circa annum *1530*. Contrà, Michaël Baius de iustitia & iustificatione lib. 1. cap. 3.

Luther. ibid.

5. IVSTITIAM verò in nobis à Deo non creari, aut in nobis inhærere, sed tantùm ait iustitiam Christi nobis propter

pter fidem imputari. Contrà, Hosius in Confess. Catholica. ca. 72.

6. OSIANDER dicebat; hominem iustum fieri ea iustitia, qua Deus ipse essentialiter iustus est. circa annum 1530. Contrà, Psal. 50. Ephes. 2. & 4.

XVI.

IVSTVS.

1. VISVS est Pelagius dicere eum, qui peccauit in quibusdam, iustum esse desiisse: vt ita ostenderet eos, qui appellantur iusti in Scripturis, in nullo peccâsse. circa annum *415*. Protestantes ,, etiam hodie, neminem iustum aut per- ,, fectum putant, qui vel in minimo pec- ,, cat. Contrà, Hieronymus lib. 2. aduers. Pelagian. Augustinus de spiritu & litera cap. 28. Protestátes Pelagiani sũt.

2. ALIVS est error Lutheri, dicentis, Iustum in omni opere bono peccare. Contrà, Roffens. aduers. assertiones Lutheri, artic. *35*.

XVII.

IVSTIFICATIO.

1. SE-


Aug. de hæref. cap. 82. & 87. Hieron. aduerſ. Iouinian. lib. 2.

1. SEMEL iuſtificatum nō poſſe amplius peccare aſſerebant olim Iouinianus & Pelagius. circa annū *360.* & *415.* Contrà Alphonſ. aduerſ. hæreſ. in titulo de gratia hæreſ. 2.

Staphil. de concord. Lutheran.

2. TAM incōſtans & ſecum ipſo diſſentiens eſt Lutheranorum opinio de Iuſtificatione, vt cum quatuordecim Eccleſiæ cōtra Oſiandrum ſcripſiſſent, totidem Iuſtificationis inter ſe diſcrepantes definitiones adferrent. Contrà Hoſius aduerſ. Brent. lib. 1.

3. LVTHERVS, vt doctrinam ſuam de fide ſola iuſtificante corroboraret, non modò charitatem diuinitus infuſam eiuſdem Iuſtificationis formam, & perfectionem, aut omnino cauſam eſſe vllam negauit, ſed etiam Sacramentorum gratiam excluſit. circa annum *1540.* Contrà docet Sander. hic in Secta 203.





CLASSIS

CLASSIS HÆRESVM OCTAVA.

L.

LABOR MANVVM.



ESSALIANI (vt refert historia tripartita lib. 7. ca. *11.* dicebant; Nullum manuum laborem esse Monachis licitum, etiam vitæ sustentandæ causa. circa annum *389.* Quem errorē aliquādiu sepultū, posteà velut ab inferis reuocârunt VValdenses. circa annū 1180. Contrà Gratianus distin. 91. in princip. Alphons. de Castro de hæresib. in titulo de labore manuum hæres. *1.* 1. Augustin. hūc errorē tribuit Psallianis lib. de hæres. c. 57.

2. ECONTRA VVilhelmus de sancto Amore, acerbissimus Monachorū mēdicātium hostis, docuit, oēs Monachos absque vllo discrimine teneri ad laborē manuum, vt ex illo victum adquirant. Sub Alexandro Papa IIII. à quo etiam damnatus fuit, per Bullam, quę incipit,

Roma-

Romanus Pontifex. Alphonſ.ibid. hæreſ.2. Auguſtin.de oper. Monachor. *1.* 2.21. & 22.

II.

LACHRYMAE.

Eivlantes hoc tempore, nihil Deo perinde gratum eſſe dicunt, ac lachrymas. circa annum 1544. Contrà; Michæ.*6.* inter bona quæ requirit Dominus lachrymæ non continentur.

III.

LEX.

1. Simonem Magum dixiſſe refert Epiphanius, legem non eſſe Dei, ſed ſiniſtrę virtutis. circa annum 50. Contrà; Roman.7. Lex ſancta, & mādatum ſanctum, & iuſtum, & bonum. Epiphan. hær.21.

2. Psevdoapostoli dicebant; Circumciſionem eſſe obſeruandā circa annum 60. Contrà; Legis iugum nō eſſe imponēdum credentibus in Chriſtum; probatur Actor.*15*. Nec feſta Iudaica. Galat. 4. & 5. Nec vetera ciborū diſcrimina. Coloſſ.*2*. Hebr.*13*.

3. Ce-

3. CERINTHVS quoque legem seruandam asserebat. circa annum 170. Contrà Roman. 6. Non sub lege estis, sed sub gratia.

4. NAZARÆI (vt refert Epiphanius) adhuc legi sunt obligati, Circumcisioni que, ac Sabbatho, & aliis. circa annum 130. Contrà Iustinus Martyr in Tryphon. Epiphan. hær. 26.

5. PELAGIANI dicunt, legem Dei & doctrinam ad hoc adiuuare, vt discamus, quæ facere & sperare debeamus; charitatem autem, qua piè viuitur, dari negant. circa annum 415. Contrà Cōcilium Mileuitan. ca. 4.

6. ANTINOMI hoc tempore negant, homines Euangelicos ad bona opera diuinæ legis obligari. Cōtrà Psal. 14. Rom. 8. Matth. 7. Tit. 2. Iacob. 1. Staphyl. de cōcord. Lutheran.

IIII.

LIBERTAS.

1. LAMPERIANI liberum vitę institutum etiam Monachis, tam in vestitu quàm in aliis rebus permittūt. circa

annum 680. Contrà Concilium Aurelianen. 1. ca. 21. S. Dorotheus in sermo. 1. de obedientia.

Nec Lutherani Ecclesiæ præcepta curant.

2. BEGARDI dicebant, eos qui sunt in spiritu libertatis, non esse humanæ subiectos obedientiæ, nec ad præcepta Ecclesiæ obligari. circa annum 1310. Et hoc illis cum Lutheranis commune est. Contrà Aluar. de planct. Ecclesiæ lib. 2. cap. 52. Deuter. 17. Rom. 13. Luc. 10. 1. Petri 2. Galat. 5.

V.

LIBERI.

1. GNOSTICI communes vxores habēt, & liberorum generationem auersantur, vt Clemens ait Stromat. lib. 3. circa annum 120. Contrà Euarist. in Epistola 1. Theophilus lib. 3. ad Autolycum.

2. MESSALIANI parentibus suadēt, vt liberorum educationem negligant. circa annum 389. Contrà Chrysostom. lib. 3. aduers. vituperatores vitæ monasticæ.

3. AR-

3. ARMENI dicunt, Adamum & Euam in statu Innocentiæ nũquam fuisse carnali copula coniungendos, humana specie aliter propagata. circa annum 609. Contrà Gregorius in Iob. libro 4. cap. 28. Suprà de Adamo.

VI.

LIBERVM ARBITRIVM.

1. SIMON Magus liberum negans arbitrium omnia Fato assignabat. circa annũ 50. Contrà Paulus ad Philemon. Clemens li. 3. recog.

2. MANICHÆORVM est (inquit Hieron. de ipso Manichæo loquens) hominum damnare naturam, & liberum auferre arbitrium, & adiutorium Dei tollere. In proœm. dial. aduers. Pelagian. Itemque Fatum (inquit Socrates) Manichæus introducit; quod in nostra situm est potestate tollit. circa annum 275. Socrat. li. 1. cap. 17. Quæ omnia verba cùm ad eandem rem pertineant: tamen illa de Fato Magdeburgenses inter Manichæi hæreses posuerunt; de sublata verò per eundem MANICHÆVM arbitrij nostri potestate nihil dixerunt; ne si se

ipſos cum Manichæis in tollenda arbitrij libertate conſentire prodidiſſent, ſuo miſeri iudicio periiſſent. Manichæos verò ſuſtuliſſe liberũ arbitrium Chryſoſtomus etiam ait, Homil. 54. in Ioan. Et Auguſtin. in lib. cõtra Fortunatum Manichæum. Cõtrà Minutius Felix in Dialogo, quẽ inſcripſit Octauianum.

3. HVIVS ſequaces Fortunatus, Fauſtus, Felix, Secundin. &c. dicebant; Anima à contraria natura cogitur delinquere; nam prudẽtia carnis inimica eſt Deo, nec ſubiici poteſt eius legi. Patet ergo ꝙ anima peccare videtur non ſua ſponte, ſed quoniam à tenebrarũ Gente ad id cogitur. circa annum 410. Hic videmus, quo fundamento Manichæi negent hominis liberum arbitrium.

Proteſtãtes cum Manichæis conſentiunt.

„ Proteſtantes verò eatenùs cum Mani-
„ chæis conſentiunt, vt dicant, nos cogi
„ grauiter peccare, etiam poſt iuſtifica-
„ tionem: idq; quoniam prudentia car-
„ nis legi Dei non poteſt ſubiici. Nam eò torquent Apoſtolica illa verba non ſecùs

cùs ac Manichæi. Contrà Augustin. in libro contra Fortunatum.

4. PELAGIANI sine gratia dicunt, hominem per liberum arbitrium posse facere (licet non tam facilè) omnia diuina mandata, si velit. circa annum 415. Contrà Concilium Mileuitanũ, can. 5. Hierony. lib. *1.* & 2. aduers. Pelagian. Rom. 7.

5. VVALDENSES negãt, peccatum à libero arbitrio esse. circa annum *1180.* Contrà, Gotfrid. Viterbien. in *1.* parte Chron.

6. LVTHERANI docẽt, liberum arbitrium post peccatum, esse rem de solo titulo. circa annum *1536.* Cõtrà Genes. *4.* Luc. *13.* *1.* Corinth. 7. & in epist. ad Philemon.

VII.

LIBIDO.

NICOLAVS Antiochenus, Proselytus, vnus ex septem Diaconis, cùm ab initio continuisset se ab vxore sua, ad imitationem eorum, quos Deo addi- Epiphan. hær. 25.

ctos videbat; à proposito relapsus, & cum propria vxore formosa prę intemperantia coiens, dicebat, nisi quis venerem singulis diebus exerceret, nō posse eum vitæ æternæ participem fieri. Vnde etiam vxorem suam aliis communicabat. Et hinc (teste Augustino) turpissima Secta est, qua placet vsus indifferens fœminarum. circa annum 80. Cōtrà Apocalyp. 2.

Vsus indifferēs fœminarum.

Hæres. 5.

VIII.

LOCVS SANCTVS.

1. EVSTACHIANI loca sanctorum Martyrum & Basilicas contemnebant. circa annum 328. Contrà Concil. Gangren. ca. 5.

2. PVRITANI in Anglia pars quædam & Secta Caluinistarum, nisi quòd cæteris puriores haberi volunt, adeò vt recusēt in iis locis orare, baptizare, aut conuenire, quæ Catholico ritu consecrata vnquam fuerunt. circa annum 1560. Contrarium ostendit Sanderus in Secta 221.

IX.

LYMBVS.

SEPVLCHRALES negant Christum in anima descendisse ad inferos, seu ad Lymbum Patrum, sed tantùm corpore in sepulchro quieuisse. Vnde inferos interpretantur sepulchrum. Imò Beza in ca.2. Act. dicit somnia esse, quæcunque apud Patres de Lymbo Patrum habentur. circa annum *1563*. Cõtrarium probat Sanderus ex sacris literis & scripturis Patrum in Sect.224. Bezæ impia calumnia.

CLASSIS
HÆRESVM
NONA.

M. N.

MAGISTRATVS.

VVICLEFVS Art.*15*. dicit: Nullus est Dñs ciuilis, nullus Prælatus, nullus Episcopus dũ est in mortali peccato. circa annũ *1394*. Contrà Lyran. in *23*. ca. Matthæi, Prȩlatis etiã malis obediendũ esse probat.

 II.

II.

MALVM.

1. PSEVDOAPOSTOLI affirmant Paulum dicere; Faciamus mala, vt eueniant bona. circa annum 60. Contrà Roman. tertio: Quorum damnatio iusta est.

2. VETERIS Testamenti Deus, inquit Manes, malorum est inuentor, dicens de se ipso: Ego ignis consumens. circa annum 275. Contrà Cyrillus in Catechesi 6.

3. SELEVCVS & Hermias malum nunc à Deo esse, nunc à Materia dicebant. circa annum 380. Contrà Ambros. Hexam. lib. 1. cap. 8.

Hunc errorem hodie profitentur Illyricani.

4. MANICHÆI dicunt, malum habere certam substantiam. Vnde concupiscentiam carnalem volunt substantiam esse nobis contrariam, quæ separetur ab iis, qui purgãtur. circa annum 410.

5. CALVINVS & Melãchton Deum faciunt omnis mali authorem; adeò, vt Dauidis adulterium & scelerata proditio

tio Iudæ, æquè diuinum ſit opus, atque conuerſio D. Pauli. Cõtrà Alphonſ. de Caſtro hoc tit. hær. 1.

III.

MARIA VIRGO.

1. IOVINIANISTÆ Mariam pariẽdo fuiſſe corruptam dicebant. circa annum 360. Hoc idem Bucerus & Molinæus in tertiam partem vnionis Euangelicæ, vbi dicunt, IESVM naſcentem adaperuiſſe vuluam Mariæ. Cõtrà Augustin. epiſt. 120. ca. 1. Bucer. & Molinæ. Iouinianiſtæ.

2. ANTIDICOMARIANITÆ (quos Heluidianos fuiſſe Auguſtinus indicat) ſunt aduerſarij Mariæ Virginis, qui dicebãt; Mariam, poſtquàm Chriſtum genuit, ipſi Ioſeph viro ſuo copulatam eſſe, & ex eo filios genuiſſe. circa annũ 400. Contrà Epiphan. hær. 78. Hieron. contra Heluid. Auguſtin. hær. 84. Aduerſarij B. Mariæ Virg. perpetuæ.

3. FORTVNATVS contra Auguſtinũ; Virginis, inquit, Mariæ origo ex tribu Iuda fuiſſe non monſtratur. circa annũ 410. Contrà Auguſtin. aduerſ. eundem lib. 23. ca. 9. & 10. Lib. 23.

4. NESTORIVS sententiam Anastasij presbyteri (qua dixerat, Mariam à nemine Deiparã vocari debere) pertinaciter defendens, nouam hæresim condidit. circa annum 427. Cõtrà Socrat. lib.7. cap.32.

Theodoret. hær.fab.lib. 4. ca.penul.

5. BOGOMILI aiũt, suos omnes cõcipere Verbum Dei, gestare in vtero, & parere, non secùs quàm Dei Genitricem. circa annum 1080. Contrà Euthym. cap. 22.

6. CORRERII seu Coterelli, prętet aliquos Petrobrusianorum errores, dicebant, Beatam Virginem fuisse Angelum. circa annum 1170. Contrà Gotfrid. Viterbien. in part. Chron. 14.

Guido in Summa.

7. VVALDENSES contẽnũt Salutationem Angelicam. circa annũ 1180. Contrà Guilhel. Durand. lib.7. de Offi. diuinis. ca.7.

Faciunt hoc etiam plerique Lutherani.

8. LOLHARDI asserebant, Mariam non mansisse Virginem post partum: alioqui (dicebant) non hominem, sed Angelum peperisset. circa annum 1320.

Contrà

Contrà Thomas part.*3*.q.*28*. Artic.2.& q.*35*. Artic.*6*.

IIII.

MARTYRIVM.

1. TERTVLLIANVS meminit quorundam Gnosticorum, qui Martyriis refragarentur. circa annum *120*. Contra quos librum scripsit, quem Scorpiacum inscripsit.

2. MONTANISTÆ affirmabant se habere complures Martyres. circa annum *175*. Contrà Apollinaris Hierosolymitanus apud Eusebium libro 5. capit.*15*. Gloriantur etiá de suis Martyribus Lutherani & Caluinistæ.

3. CIRCVMCELLIONES per mortes varias præcipitiorũ, aquarũ & ignium sese neçare consueuerunt, & inde sibi Martyrij nomen assumebant. circa annum 400. Contrà August. epist.50. Falsi Martyres.

4. FORTVNATVS cõtra Augustinum: Idola paganorũ, inquit, vertitis in Martyres, quos votis similibus colitis. circa annum 410. Idem ferè de nobis ex eadem blasphemia Protestantes dicunt. Displicuit ergo tùm olim Manichæis, Lib.20. cap.2. »Protestãtes Manichæi.»

tum

" tum iam Proteſtãtibus, quod apud me-
" morias Martyrũ offerimus Deo; quodque Martyres cultu dilectionis fraternæ inuocamus, vt eorum orationibus apud Deum adiuuemur. Contrà Auguſtinus aduersùs Fortunatum lib. *20.* cap. *21.*

V.

MATRIMONIVM SIVE Nuptiæ.

1. PSEVDOAPOSTOLI, authores erant, vt qui in Matrimonio eſſent deprehenſi, quandọ ad fidem conuertebantur, à re vxoria, velut iam illicita in perpetuum abſtinerent, vtque Virgines, Viduæ, aut cœlibes, non nuberent omninò. circa annum *6*o. Cõtrà 1. Corinth. 7.

2. EBIONITÆ tertias ſimul nuptias admittunt. circa annũ *210.* Contrà Auguſtin. hæreſ. 8*6*.

Auguſtin. hær. 1. 3. NICOLAITÆ (Auguſtino teſte) vxorum cõmunionem introduxerunt. circa annum 80. Contrà Apocalyp. 2.

4. SA-

4. SATVRNINVS (vt rectè refert Irenæus) præter Simonianam hæresim dicebat, nubere & generare à Satana esse. circa annum *118*. Contrà *1*. Tim. 4. Irenæ. lib. 1. cap. 22.

5. GNOSTICI (vt Clemens ait) communes vxores habent, & liberorum generationem auersantur. circa annum *120*. Contrà Euarist. in epist. *1*. Clemens Stromat. lib 3.

6. TATIANVS (præter Valentinianam hæresim) & nuptias & carniũ comestionem damnauit, & negauit Adamum saluatum. circa annum *165*. Contrà Irenæus libro *1*. capit. 30. & libro *3*. cap. *34*. Irenæ. lib. 1. cap 31.

7. ADAMIANI Adæ in paradyso nuditatem imitantes, condemnant nuptias. circa annum *170*. Contrà Clemẽs in *3*. Stromat. Augustin. hæres. 31.

8. PRISCILLA & Maximilla maritos deseruerunt, vt Montanum sequerentur. Vnde nuptiarum diuortia eum docuisse, Apollonius refert. circa annum *175*. Contrà Clemens in 2. Stromatum. Euseb. li 5. cap. 17.

9. CÆ-

Auguſtin. hær. 26.

9. CÆTERI quoque Montaniſtæ ſecũdas nuptias pro fornicationibus habent. Contrà Clemens in 3. Stromatũ.

Auguſtin. hær. 85.

10. TERTVLLIANVS ſcripſit librũ de Monogamia, in quo ſecũdas nuptias damnabat. circa annum *210*. Cõtrà Auguſtin. hær. 86.

Epiphan. hær. 63. & Auguſtin. hær. 42.

11. ORIGENII, non ab Origene Adamantio, vt videtur, appellati, reiiciebant nuptias, cùm tamen luxurioſè interim & libidinoſè viuerent. circa annum 240. Contrà in operibus Cypriano aſſcriptis, Homilia de Natiuitate Chriſti.

Epiphan. hær. 67.

12. HIERARCHAS (teſte Epiphanio) nuptias non admiſit, & ideò cum ſolis continentibus verſabatur. circa annum *270*. Contrà Cyprianus de habitu Virginum.

13. MANICHÆI quoque nuptias damnant. circa annum *275*. Contrà Minutius in Octauiano.

14. EVSTACHIVS ita nuptias damnauit, vt doceret; nullum eorum, qui ſunt in coniugio, in Deo ſpem habere.

circa

circa annum 328. Contrà Concil. Gangrense ca. 1.

15. HIERONYMVS ad Ctesiphontem aduersùs Pelagianos scribit, Agapē, & Elpidium simul habitâsse, velut spiritualis consortij causa: cùm re vera turpiter viuerent, ne Matrimonio iungerentur. circa annum 370. Idem hodie faciunt Anabaptistæ. Contrà Hieron. ad Eustochium, de custodia Virginitatis.

Sulpitius li. Sacræ histor. 2.

Anabaptistæ.

16. MESSALIANI, Euchytæ siue Enthusiastæ, nuptias dissoluebant. circa annū 389. Contrà Basilius in epistola ad Amphilochium can. 9.

Damascen. hær. 8.

17. HELVIDIVS etiam (vt Author est Hierony. in fin. Opusculi, quod aduersùs eum scripsit) volebat esse eiusdē gloriæ virgines & maritatas. circa annum 400. Contrà Chrysost. in libro de Virginitate.

18. LEX Manichęorum, prolem ante omnia deuitari à concubentibus iubet. circa annum 410. Contrà Augustinus aduers. Fortunat. lib. 22. ca. 30.

19. PRI-

19. PRISCILLIANISTÆ nuptias et procreationem naſcentium perhorreſcunt. circa annum 450. Contrà Leo epiſt.91.cap.7.

20. ARMENI negant, in nuptiis aliquod eſſe Sacramentum, dicentes; illam maris & fœminæ indiſſolubilem coniunctionem non eſſe Sacramẽtum, neque per illam conferri aliquam gratiam. circa annum 603. In eodem errore fuit etiam Lutherus, qui cùm alia Sacramenta ita pertractet, vt ex illis aliquod neget eſſe inſtitutum in ſignum, in alio neget promiſſam gratiã, in Matrimonio verò negat vtrumque. Contrà Alphonſ. de Caſtro aduersùs hæreſ. lib. *11.* de nupt. hær. *3.*

Lutherus Armenos ſecutus, negat Matrimoniũ.

21. TANDEMVS filias in matrum præſentia, & ſponſas maritis intuentibus corrumpere, (id quod tribus ferè millibus armatorum ſtipatus factitabat) ſpirituale opus eſſe aſſerebat. circa annum *1120.* Contrà Rupert. Tuitien. in Matth. cap. *5.*

22. HÆRETICI quidam, qui se Apostolicos dixerunt, continentiæ voto se insignientes, rusticani homines & idiotæ nuptias primùm omnes damnabãt. circa annum 1150. Contrà Bernhard. in Cantica sermo. 66. Bernhard. in serm. 66. in Cant.

23. POSTEA quidam ex illis volebãt non nisi Virgines licito Matrimonio coniungi. Contrà Bernhard. ibidem.

24. CIRCVMDVCEBANT illi etiã secum fœminas, cùm tam viri, quàm fœminæ continentiam vouissent. Contrà Bernhard. ibidem.

25. VVALDENSES, vrente carnis libidine, dicunt omnem carnalem commixtionem esse licitam. circa annum 1180. Contrà Gratian. causa 32. quæst. 4. parte 2.

26. ALBIGENSES Matrimonium malum esse dicebant. circa annũ 1200. Cõtrà Concil. Lateranen. ca. 1.

27. DVRANDVS de VValdachia dicebat, Matrimonium esse occultũ meretricium. circa annum 1300. Contrà Bernhard. Luzenbur.

Thomas de Argentina in Senten. lib. 4. distin. 26. Artic. 1. & 2.

28. LVTHERVS, si vxor debitum reddere improbè recusâsset, ancillam voluit in viri thorum traduci, quemadmodùm ipse dixit in Sermone quodam de Matrimonio. circa annũ 1523. Contrà Christus Matthæi 19. & Paulus 1. Corinth. 7.

Tom. 5. lat. fol. 123.

29. IDEM in epist. ad VVolffgangum Reissenbusch; Deus ex æquo iubet, nos vxorem ducere, ac cibum sumere, & potum. Vbi etiã ait, tam nõ esse in manu nostra continere, quàm omnia DEI miracula. Et ideò votũ continentię impossibile minimeque seruandum esse. Contrarium ex diuinis literis probat Sanderus hîc in Secta 188.

Continẽtiæ votum impossibile dicit Luther.

VI.

MELCHISEDECH.

QVIDAM errore decepti dicebãt, Melchisedech Sacerdotem, qui benedixit Abrahæ reuertenti de victoria quinq; Regum, nõ hominem purum, sed

ſed Chriſtum fuiſſe, aut aliam quãdam Dei virtutem. Quos D. Auguſtin. vocat Melchiſedechianos, & ponit eos in trigeſimo quarto loco, in libro de hęreſibus. circa annum 190. Contrà Alphonſ. hoc loco, hæreſi vnica.

VII.

MENDACIVM.

CASSIANVS, ſub nomine Abbatis Ioſeph, docuit, licitum eſſe mẽtiri pro vita hominis ſaluanda, aut pro magno beneficio homini impendendo. Cõtrà Pſalmo 5. Perdes omnes qui loquuntur mendacium. Alphonſ. hoc loco hæreſ. vnica, per multas Scripturas.

VIII.

MENDICITAS.

IOANNES VViclef cum ſuorũ turba diſcipulorũ docet, non eſſe licitam mẽdicitatẽ; quapropter Monachos mẽdicantes execratur, dicẽs, illos debere viuere per laborem manuum, & non per mendicationem. circa annum 1394. Hunc eundem errorem hoc noſtro

ſeculo ſuſcitauit Lutherus, qui vult mendicitatem omninò eſſe prohibitam. Contrà Alphonſ. de Caſtro hoc loco, hæreſ. vnica.

IX.

MERITVM.

1. PSEVDOAPOSTOLI Euangelicam gratiam dicebant meritis ſuis debitam fuiſſe, eò quòd Iudæi cognominarentur, quodque in Deo gloriantes, confiderent ſe habere formam ſcientiæ & veritatis in lege. circa annum 60. Contrà Auguſtinus ad Simplicianum lib. *1.* quæſt. 2.

Roman. 2.

2. PELAGIANI dicebant, gratiam Dei, qua liberamur ab impietate, ſecũdùm merita noſtra dari. circa annum *415*. Contrà Auguſtin. de gratia Chriſti aduerſ. Pelag. lib. *1.* ca. 44.

Auguſtin. hær. 88.

3. LVTHERVS ait, nullum eſſe hominis meritum ad gloriam aſſequendam. Tantum em̃ gratiæ tribuit, vt nullum locum relinquat libero arbitrio. Cõtrà Alphonſ. hoc loco hær. vnica.

X.

X.

MICHAEL ARCHANGELVS.

BOGOMILI dicebant, Michaëlem Archangelum fuisse incarnatum. circa annum 1080. Contrà Ansel. in lib. Cur Deus homo cap. 5.

XI.

MIRACVLA.

1. VIGILANTIVS dicebat, signa & virtutes, quę in Basilicis Martyrũ fiunt, incredulis prodesse, non credentibus. circa annum 400. Irrident etiam Protestantes eiusmodi signa. Contrà Hieron. aduers. Vigilantium.

Protestãtes irridẽt miracula, quæ fiũt in Basilicis Martyrum.

2. VVALDENSES dicebãt, vera miracula in Ecclesia nõ fieri. circa annum 1180. Hoc tempore, Protestantium aliqui miracula etiã diuina, Diaboli præstigias esse dicunt. Contrà Gotfrid. Clareuallen. de vita S. Bernhardi lib. 4. cap. 4.

XII.

MISSA SIVE MYsterium.

1. EBIONITÆ mysteria faciebant ad imitationem Sanctorum per azimos, sed alteram mysteriorum partem per aquam solùm. circa annum 80. Cõtrà Clemens lib. constitut. Apostol. 8. cap. 17.

Theodoret. li. 1. hæret. fabularum.

2. HYDROPARASTATÆ hîc sunt, qui aqua sola in mysteriis vtebãtur. circa annum 170. Contrà Iustinus Apologia 2.

3. MONTANISTÆ mysteria publicè celebrabant, authore Phylastro: fortè vt infamiam sanguinis puerilis, quẽ fundere dicebantur, purgarent. circa annum 175. Contrà Tertullianus ad vxor.

Sacrificium panis & casei.

4. ARTOTYRITÆ à Montano etiam promanantes, panem & caseum in mysteriis suis apponebant. Eod. tempore. Contrà Irenæus lib. 4. cap. 32.

Damascen. hær. 80.

5. MESSALIANI negãt diuinorum mysteriorum participationem animi sordes expiare. circa annum 389. Contrà Ambrosius de Sacramentis, libro 4. capit. 6.

6. PE-

6. PETROBRVSIANI negabãt, Presbyteros & Episcopos in Altaris officio corpus Christi conficere, & aliis ad salutem animarum tradere. Corpus em̃ Christi semel tantùm (inquiũt) ab ipso Christo in cœna ante passionẽ factum est, & semel (hoc est, tunc tantùm) discipulis datum est. Exinde neque confectum ab aliquo, neque alicui datum est. circa annum 1140. Contrà Petrus Cluniacensis aduersùs Heinricianos. Vt suprà de Eucharistia Num. 15.

7. VVALDENSES semel tantùm in anno, id est, in cœna Domini, Missam celebrant, & illam absque forma verborum Christi (hoc est corpus meum) dicendo septies, Pater noster &c. & benedicendo panem & vinum. circa annum *1180*. Contrà Gotfridus Clareuallen. de vita sancti Bernhardi. libro 5. cap. *1*.

8. IOAN. VViclef asseruit, Missam à Christo non esse institutam. circa annum *1394*. Contrà Luc. 22. Alphonsus hîc hær. *1*.

9. INPRIMIS Lutherus negabat, Eucharistiæ celebrationem, publicum aut vllo modo propitiatorium noui Testamenti sacrificium esse. Putabat enim se non paruum incommodum Pontifici Romano, & Presbyteris omnibus allaturum, si persuaderet suis, Eucharistiã vtiliter Deo non offerri. Verùm hanc doctrinam, vt ipse fatetur, à Diabolo hausit. Contrarium apertè demonstrat Sanderus in Sect. *204*.

Lutheri inuidia & studium nocẽdi.

Lutherus à Diabolo instigatus, vt contra Missam scriberet.

Canonem lacerauit.

10. CANONEM etiam Missæ maledicentissimè lacerauit, & derisit. Quem contrà apud Catholicos rectissimè obseruari pulchrè declarat Sanderus, vbi suprà.

11. CVM Protestantes viderẽt, sacrorum Altarium mẽtionem passim apud antiquissimos patres fieri, dixerũt; Vnicum saltem Altare in quolibet templo fuisse, & vnicum Sacrum in eo templo eodem die celebrari solitum esse. Contrariam sententiam dictis in locis rectè defendit Sanderus.

12. Vo-

12. VOLVNT etiam sacrum hoc mysterium necessariò in vernacula lingua celebrandum esse. Quem errorem luculenter refutauit Cardinalis Hosius in Dialogo, An diuina officia vulgari lingua peragi fas sit.

XIII.

MONACHATVS.

PRIMI Dæmonis ministri fuerunt VValdenses, qui in tantam prorupe- runt insaniam, vt dicerent, Mendican- tium religionem fuisse malorũ dæmo- num inuentionem. circa annum *1180*.

Æneas Sylu. in lib. de orig. Bohemor. ca. 35.

2. EODEM ferè tempore quidam VVilhelmus de S. Amore scripsit librũ, in quo persuadere conatus est, hominem non posse saluari in ordine Mendicantium.

3. HVIC errori VViclef eam adiecit impietatem; neminem posse saluari in quacunque religione priuata, imò dicit, omnẽ qui in priuata religione existit, esse ineptum & inhabilem ad obseruantiam mandatorum Dei. Et propterea

pterea affirmat, eos qui religiones instituerũt, videlicet, S. Benedicti, Francisci, Dominici &c. fuiſſe ob id damnatos. circa annum *1394*.

4. RESVSCITAVIT eundem errorem, tempore noſtro, Martinus Lutherus, dicens, non eſſe licitum hominem obligari ad aliquid agendum vltra id, quod Dominus nobis præcepit, ſed liberè viuendum eſſe cuilibet, & non ſub lege humana. Quapropter liberam tribuit Monachis poteſtatem exeundi à monaſteriis, & vxores ducẽdi, ſi volũt. Imò in multis Germaniæ oppidis coacti ſunt Monachi relinquere propria Monaſteria, nec permittitur eis inhabitare, niſi cucullas exuant, & vxores ducant. Contrà hæc omnia ad longum diſſerit Alphonſus de hæreſ. lib. 10. ſub tit. de Monachatu. hær. vnica.

XIIII.
MORS.

Irenæ lib. 1. cap. 21. Epiphan. hær. 22.

1. MENANDER dicebat, diſcipulos ſuos, poſt Baptiſma ipſius, non morituros.

ros. circa annum 70. Contrà Roman. 8. Corpus mortuũ est propter peccatum.

2. ARABICI animos cũ corporibus mori & resurgere dixerunt. circa annũ 220. Contrà Athenagoras de resurrectione mortuorum. Euseb. li 6. cap. 30.

XV.

MORES GENTIVM.

MANICHÆI dicebant; De vita paganorum mutatis nihil; estis sanè schisma Gentium. circa annum 410. „ Eodem modo Protestantes nobis exprobrant, quod instar gẽtium quidam „ ex nobis profitentur castitatem, quodque festos dies & alia eiusmodi colimus: Cùm tamen omnia hæc in honorem veri Dei faciamus per Iesum Christum filium eius. Contrà Augustinus adversùs Fortunatum. lib. 24. cap. 21. & 23.

Protestãtes Catholicos dicunt esse Schisma gentium.

XVI.

MVLIER.

1. ÇOLLYRIDIANVM Sacrificiũ olim fiebat per mulierem. circa annum 400. Epiphan. hær. 79.

Quod

Quod etiam hoc seculo in Anglia factum esse constat. Contrà Epiphanius hæres.79.

2. ID quod à Pepuzianis didicerunt, qui asserebant, mulieres iustè posse ad Sacerdotium promoueri. circa annum 175. Quem errorem nostro seculo Lutherus etiam resuscitare conatus est, dum asseruit; etiã mulieres sacra peragere posse. Contrà Roffen.artic.13. Alphons.de Castro hoc tit.hær.vnica.

Suprà de absolutione Numer.4.

XVII.

MVNDVS.

1. SIMON Magus mundum ab Angelis factum esse dicebat. circa annum 50. Contrà Hebræ. 3. Qui omnia creauit Deus.

2. MENANDER Simonis Magi discipulus dicebat, se ab inuisibilibus missum pro salute hominum, mundum verò per Angelos ab intelligentia emissos esse factum. circa annum 70. Contrà Colossen.2. Nemo vos seducat &c.

3. CERDON & Marcion (vt ait Irenæus) duos posuerunt Deos, Vnum sæuum & ignotum, qui mundum & vetus Testamentum fecerit; Alterum bonū & cognitum, qui fuerit Pater Christi. circa annum 140. Contrà Irenęus lib. 3. cap. 3. Lib. 2 c. 28. & 29.

4. HERMOGENES materiam semper fuisse, Deumq; illi appropinquando mundum conditum dixit. circa annum *160*. Contrà Tertullianus de præscription. hæreticorum, & in libro peculiari de hoc errore, aduersùs Hermogenem edito.

5. INNOMINATI quidam dicebant, hunc mundum post resurrectionem, in eodem statu, quo nunc est, permansurum. circa annum 355. Contrà Cyrillus Hierosolymitanus in Catechesi *15*. Lucæ 21. Cœlum & terra transibunt.

6. PETRVS Abailardus, & Arnoldus Brixiensis dicebant, mundū, iuxta Platonem, tantò excellentius animal esse, quantò meliorem animam habet, Spiritum sanctum. circa annum *1140*. Contrà

Mundū esse animal, cuius anima sit Spiritus sanctus.

trà Anſelmus in lib. de imagine mundi capit. *2*.

7. ALBIGENSES dicebant, quòd mundus ſemper eſt, & ſemper erit. circa annum *1200*. Contrà Gotfrid. Viterbienſis in *1.* parte Chron. Otto Friſingenſis. lib. 8. cap. 8.

8. INTER errores atque hæreſes Ioachimi Abbatis Guido Carmelita numerat etiã hos de triplici videlicet ſtatu mundi, quorum primus, ſecundùm carnem, ad Chriſtum vſque durauerit: ſecundus velut mixtus inter carnem & ſpiritum: tertius ſecundùm ſpiritum tantùm à S. Benedicto, vſque ad finem mundi perſeueret. circa annum *1200*. Contrà Bernhardus in Sermo. de Natiuitate S. Ioann. Baptiſt. & Sanderus in Secta 152.

Hæreſis de triplici ſtatu mundi.

XVIII.

NECESSITAS ABSOLVTA.

Artic. 27.

VVICLEFVS omnia de neceſſitate abſoluta euenire poſuit. circa annum *1394*. Neque hoc quidem placet Proteſtan-

ſtantibus ſaltem omnibus. Cõtrà Gerſon de conſolat. Theolog. lib. *1*. Proſa 4. Vide ſuprà in tit. de Fato, & de Libero arbitrio.

XIX.

NVDIPEDES.

1. APVD Auguſtinum ſub hæreſ. *68*. eſt hæreſis quędam nudis pedibus ſemper ambulantium: qui nõ propter corporis afflictionem ſic ambulant, ſed teſtimonia Scripturæ malè intelligunt, in quibus Moyſes, Ioſue, aut Eſaias ſic ambulare iubebantur. circa annũ *355*. Contrà Baſilius in epiſto. *1*. ad Gregor. Theolog.

2. TVRELVPINI dicebant, de nulla re naturaliter indita, erubeſcendum eſſe: & ideò in nuditate & pudendorum exercitio palàm viuendum eſſe. circa annum *1372*. Contrà Nicolaus de Lyra in illa verba Pauli; 1. Cor. *12*. Quæ putamus ignobiliora eſſe membra. Bernhard. Luzenbur.

3. PICARDVS quidam è Belgis in Bohemiam profectus, ac ſeſe Filium Dei Bonfin. dec. 3. lib. 2.

pro-

professus, sectatores iubebat nudos incedere, & promiscuos inire concubitus. circa annum *1414*. Contrà Ioann. Gerson de examinatione doctrinarũ, consideratione *6*.

Idem Bonfin. Dec.4. lib.2.

4. MATTHIAS Hũgariæ Rex: Bohemica hæresis, inquit, tam multiplex est, & diuersa, vt contrariis semper fluctuent opinionibus. Hîc Adamitas cũ mulieribus nudos incedentes, sine pudore pudibunda ostendentes cernere erit. Hîc Iacobitas, hîc Paulinos, hîc Taboritas, hîc Hussitas, ac vanas hæreticorum sectas quisque spectabit: nec „ abs re quidem; nam postquàm ab ipsa „ veritate diuertitur, diuersi vtrinq; nos „ errores excipiunt. circa annum *1440*.

Relicta semel veritate diuersi sequũtur errores.

CLASSIS
HÆRESVM
DECIMA.

O.

OBE-

OBEDIENTIA.

VVALDENSES, vt omnem Ecclesiæ potestatem & ordinem tollerēt, dicebant, non esse obediendum Roman. Pontifici aut aliis Ecclesiæ Prælatis. circa annum 1180. Sicut etiam hodie dicūt „ Lutherani nō esse obediendum Prælatis „ Ecclesiæ nisi in illis solùm, quæ in sa- „ cris Scripturis sunt apertissimè expres- „ sa. Contrà Alphons. de Castro aduers. hær. in loco de Ecclesia. hær. 3.

Lutherani VValdēses.

II.

OBLATIONES.

1. MONTANVS oblationum nomine munera & sibi & suis prædicatoribus accepit. circa annum 175. Contrà Apollonius apud Eusebium lib. 5. ca. 17.

Euseb. lib. 5. cap. 14.

2. COLLYRIDIANI in Arabia Collyridem seu panem offerebant in nomine Mariæ: & cæteri de eo pane participabant. circa annum 400. Contrà Epiphan. hær. 78. & 79.

Epiphan. hær. 79.

3. PETROBRVSIANI ridebant orationes oblationesque pro mortuis, vt

Rident easdem etiam Lutherani.

post D. Bernhardum Clareuallis Abbatẽ, alius Bernhardus Bonæuallis Abbas in vita B. Bernhardi testatur. circa annum *1140*. Cõtrà Bernhard. in Cant. Sermo. *66*.

4. LVTHERVS negat Eucharistiam pro defunctis offerri posse. Contrarium probat Sanderus in Secta *204*.

III.

OCCIDERE.

INTER alios VValdẽsium errores, quos Guido recenset, hic quoque vnus est, quo docent; nullum hominem posse occidi iustè, etiam si id fiat ex Iudicis præcepto. circa annum *1180*. Eundem errorem posteà docuit quidam Nicolaus Galecus nomine, ex Bohemia oriundus, qui fuit vnus de Legatis Bohemorum ad Cõcilium Basiliense. Contrà Alphonsus de Castro hoc loco hær. vnica; docens, hac hæresi omnẽ tolli politiam Christianam. Vide suprà in titulo de Bello.

IIII.

IIII.

OFFICIA SACRA.

PROTESTANTES volunt, Officia ſacra non niſi vernaculo & vulgari ſermone celebranda eſſe, vt plebs intelligat quod dicitur; id quidem Lutherus non docuit. Nam in Formula Miſſæ VVittenbergenſis, facilè paſſus eſt, Officia in ſacra lingua fieri, modò vulgares admiſcerentur cantiones. Contrà, ſacra officia decētiùs in ſacris, quàm vulgaribus linguis celebrari, docet Sanderus in Secta 219.

V.

OPERA.

1. SIMON Magus, ſecundùm ipſius gratiam, dicebat ſaluari homines, non ſecundùm operas iuſtas, quibus vacare ſeruitus eſſet. circa annũ 50. Cõtrà 2. Petri 2. Hinc promanârunt, qui ſolam fidem ſufficere exiſtimant. Initium doctrinæ de ſola fide.

2. PELAGIANI charitatem, qua piè viuitur, dari negant. circa annum 415. Contrà Concilium Mileuitan. ca. 4.

Lutherus in disputat. 3. LVTHERVS nec illa opera, quæ ex fide fiunt, coram Deo iustificare dixit. circa annũ *1527*. Contrà Dietenberg. in Freno Lutheranorum. Roffen. Arti.1. contra Lutherum.

In Assert. Artic. 31. 4. ITEM iustum in omni opere bono peccare asseruit. Contrà Roffens. in Artic. *31*.

5. DICEBAT etiam, bona fidelium opera in gratia Dei facta, non mereri vitam, quia hoc putabat derogare merito Christi. circa annum *1535*. Contrà Caietan. Tom. 3. de fide & operibus ca. *6*. 8. & 9.

6. AMSDORFFIVS docet, bona opera homini ad salutem esse perniciosa. Eodem tempore. Contrà Tit. 3. Hebræ. *6*. Rom. 2.

7. MAIORISTÆ contrà docẽt, nullum hominem, ne infantẽ quidem, iustum fieri posse, aut vnquam saluatum fuisse, absq; bonis operibus præcedentibus. Ita docuit Georgius Maior in multis contra Illyricum scriptis. Illyricus etiam in suo scripto aduers. Lypsenses

ſes accuſat Melanchthonem, eò quòd dixerit, hominem in puris naturalibus potuiſſe diſponere ſe ad recipiendam gratiam. Eod. tempore. Cōtrà Epheſ.*2.* Roman.*9.*& *11.* Concil. Trident. Seſſ.*6.* can.*5.*

VI.

OPVS OPERATVM.

LVTHERANI negant, Sacramenta ex opere operato (id eſt, ex vi & poteſtate diuini operis, quod in illis diſpenſandis à miniſtro Chriſti fit) gratiam nō ponenti obicem cōferre. Contrà Sanderus in Sect. 203.

VII.

ORATIO.

1. QVI Prodici dogma ſectantur, inducunt, non eſſe orandum. Quæ hæreſis accepta eſt à Philoſophis, qui dicuntur Cyrenaici. circa annum 175. Cōtrà Clemens in lib.7. Strom. In actio 11. Synod.6.

2. PSEVDOAPOSTOLICI irridebant orationem pro mortuis. circa annum 1150. Contrà Gratian. cau.*13*.q.2. ca. Non æſtimemus. Rident eā & Lutherani.

3. PVRITANI recuſant in iis locis orare, baptizare, aut conuenire, quæ Catholico ritu conſecrata vnquam fuerunt. Contrarium probat Sanderus in Secta 221.

VIII.

ORDINES ECCLESIASTICI.

1. SIMON Magus obtulit pecuniam Petro & Ioãni, vt cui manus impoſuiſſet, is acciperet Spiritum ſanctum. circa annum 50. Hinc Simoniaci denominantur, qui donum Dei pecunia poſſideri exiſtimant. Contrà Actor. 8.

2. MESSALIANI dicunt, in Clericorum ordinationibus Spiritum ſanctũ non ſuſcipi. circa annum 389. Nonne & hoc illis commune eſt cum hodiernis Proteſtantibus, qui negant, vllum eſſe ordinis Sacramentum? Cõtrà Gregorius Nyſſenus de Baptiſmo. Ambroſius epiſt. 33.

Proteſtãtes Meſſaliani.

3. TANDEMVS hęreticus, circa Antuerpiam agens, ſacri ordinis miniſtros, & Epiſcopalem ac Sacerdotalem gradum

dum nihil esse dicebat. circa annū *1120.* Contrà Petrus Lombardus, Parisiensis Episcopus lib. 4. Senten. dist. 24.

4. VVALDENSES dicunt, tres tantùm Ordines in Ecclesia esse: Diaconatum, Presbyteratum, & Episcopatum. circa annum *1200.* Contrà Guilhelmus Durandus de diuinis officiis lib. 2. ca. *1.* Tres tātùm ordines esse.

5. ORDINEM neq; esse Sacramentum, neq; in eo esse aliquam imparitatem, vt vnus ordo sit alio & dignitate & potestate maior, sed oēs Christianos esse in eodē ordinis gradu dicit Lutherus. Sed hæc omnia erronea esse ac hæretica, ad longum declarat Alphons. hoc loco hær. vnica. Vide suprà in tit. de Absolut. & infrà de Sacerdotio. Ordinē non esse Sacramentum.

CLASSIS HÆRESVM VNDECIMA.

P.

PACIFICANTES.

1. ENO Imperator, per edictum, quod Henoticũ seu pacificatorium appellauit, id egit, vt tum Catholici de fidei veritate, tũ hęretici Eutychiani de sua vanitate nõnihil cedentes, vnitatem quãdam & pacem imaginariam amplecterentur. Nam vt vnà cum Catholicis Eutychi anathema indixit, sic decisionem Synodi Chalcedonẽsis vnà cum hæreticis paruifacere videbatur. Vnde consecutum est, vt singuli Ecclesiarum Præsides pro suo arbitratu in ea re agerent. Anastasius verò Imperator imaginariam Zenonis pacem cõsectatus est, adeò vt Chalcedonense Concilium neque palàm in Ecclesiis prædicaretur, neq; reiiceretur ab omnibus. circa annũ 530. Cõtrà Theodor. lector libro 2. Collectaneorum.

Euagrius li. 2. ca. 14.

2. EXTAT hoc tempore Liber inscriptus de officio pij, & pacis Christianæ verè amãtis viri, vigente hæresi &c. quo in libro ita scriptum est: Qui Christo capiti,

capiti, & reliquo Ecclesiæ corpori charitatis vinculo cõnectuntur, nullo modo vt Schismatici, & ab Ecclesia alieni habendi sunt, etiamsi ab alia Ecclesiæ parte potentiore, & gubernationem obtinẽte reiecti, & ab eorum communione separati videantur. Hæc de iis tantùm loquor, qui omnibus votis pacem desiderant, & à quibus quadam ex parte communione separantur, fidei tamen & charitatis vinculo coniunguntur.

ITAQVE iste putat, eos qui saluo Apostolorum Symbolo, siue Romanã, siue Lutheranam, aut Caluinisticam Ecclesiam frequẽtant (modò eam Ecclesiam, à qua magis dissentiunt, hæreseos non damnent) veram Christi Ecclesiam esse. Contrà verò, eos qui vel verbis, vel factis ab externa Ecclesię cõmunione se ipsos separant, nec adquiescunt sanæ doctrinæ, post vnam & alteram correptionem, deuitandos esse, tanquam homines subuersos, & suo iu-

dicio condemnatos, rectè hîc docet Sanderus in Secta *232*.

II.

PAPA.

1. PSEVDOAPOSTOLICI nolũt Papam, si bonus non sit, vllam prorsus habere potestatem, nec aliquem posse absoluere, nisi ea præditus sit sanctitate, qua polluit D. Petrus circa annum *1150*. Contrà Matthæi 23.

2. BEGVINI dicebant, Papam non posse dispensare in Regula S. Francisci, & votis ac transitu fratrum Minorum ad aliam religionem, & ideò D. Papam Ioannem XXII. perdidisse suam potestatem, qui cùm non posset (inquiebant) hoc facere, cõcessit fratribus Minoribus, vt haberent frumẽtum in granariis, & vinum in cellariis pro cõmuni vita. circa annum *1320*. Contrà Guido in Summa de hæres. ca. 7.

3. ITEM dicebant, Papam non posse dispensare in voto simplici, etiamsi ob pacis bonum id fieret, vel ob gentis alicuius

cuius conuersionem ad fidem. Contrà idem Guido ca. *16.*

4. FLAGELLANTES dicebãt, Christum, quando cœlos ascendit, nõ dimisisse Vicarium, & ideò Papam non esse Vicarium Christi. circa annum 1350. Contrà Aluarus de planctu Ecclesiæ. libro 1. ca. 68.

Cur hæretici negent Papam esse Vicarium Christi.

5. PAPAM item iudicari posse ab Imperatore, sicut Christus à Pilato aut Cęsare iudicatus est. Contrà idem Aluarus cap. 56.

6. LVTHERANI docent, neque Papam, neq; Episcopum, neq; vllũ hominem habere ius vnius syllabę cõstituendæ super Christianum hominẽ. Contrà Sanderus in Secta 225.

Luther. in capt. Babylonica.

7. LVTHERVS calumniatur, Pontificũ nomen inane prorsus esse, nec re quicquam aliud esse, quàm regnũ Babylonis, & potentiã Nemroth robusti venatoris; quoniam mera tyrannide factũ esse ait, vt Papa super alios Episcopos fuerit exaltatus. Contrà Alphons.

Id propterea fecit Lutherus, vt se ipsum constitueret Papam.

de Castro hoc loco hær. 1. vide suprà in titulo Antichristus.

III.

PARADYSVS.

1. ORIGENISTÆ dicebant, Paradysum esse in tertio cœlo. circa annum 240. Contrà Theophilus ad Autholicum lib. 2.

2. HIERARCHAS Paradysum sensibilem negauit. circa annum 270. Contrà Methodius apud Epiphan. sub hæres. 64. Sixtus II. in epist. 1.

3. SELEVCVS & Hermias dicebãt, visibilem Paradysum non esse. circa annum 380. Contrà Epiphan. in epist. ad Ioan. Hierosolymitan.

Bernhard. Luzenbur. 4. ALMARICVS negabat, aut generationem filiorum aut distinctionem sexuum in Paradyso futurã, nisi Adam peccâsset. circa annum 1204. Contrà Innocent. III. de sacro Altaris mysterio cap. 8.

IIII.

PASCHA.

1. MON-

1. MONTANISTAS excitâsse cõtrouersias de Paschali die & Catholico nomine, testatur Pacianus in epistola ad Sempronianum. circa annum *175*. Cõtrà Euseb.lib.*5*. cap.*16*.

2. BLASTVS (authore Tertulliano) latenter voluit Iudaismum introducere. Pascha enim dicebat, non aliter custodiendum esse, nisi secundùm legem Moysi decima quarta mensis. circa annum *180*. Contrà Euseb.lib.5. cap.14. & *19*. Damas. in Pontif. & Victor in epist. ad Theophil. Tertullian. de præscription.

3. TESSARESCÆDECATITÆ seu Quartadecimani cum Blasto, de quo paulò antè diximus, consentientes, dicebant, Pascha celebrandũ & ieiunium soluendum esse, non tantùm in Dominica die, sed in Decimaquarta lunæ Martij, in quamcunque diem incidisset. circa annum 190. Contrà decreuerunt Episcoporum Cõcilia Palæst. Euseb.lib.5.ca.22. Epiphan. hær.50.

4. AVDEANI & Vadiani Pascha cum Iudæis celebrabant. circa annum 350. Epiphan.

350. Contrà Conciliũ Laodicen.ca.7.

Epiphan. hær.75. 5. AERIVS negauit oportere Pascha peragi. circa annum 370. Contrà Epiphanius hær.*75*.

Sozomen. li.7.ca.18. 6. SABBATIVS ex Iudæo, sectæ Nouatianorũ Episcopus, volebat, festum Paschatis Iudæorum more celebrari. circa annum *390*.

Sozomen. ibidem. 7. MARTIANVS, Nouatianorum Pontifex Maximus, suæ sententiæ Episcopos Sangarum Bithyniæ conuocauit, vbi Canonem conscripserunt ἀδιάφορον, hoc est, promiscuum, quo permittebatur vnicuique festum Paschatis, vtcunque vellet, celebrare. circa annum 388. Protestantes etiam in hac re cum Nouatianis consentiunt, quia & ipsi dictitant parui momenti esse, quo tempore aut ritu hoc Festum celebretur; ob eamq; causam Victorem reprehendunt, qui studuerit Ecclesiam vniuersam ad vnum morem hac in re tenendum reuocare. Contrà Ambrosius epist.83. Augustin.epist.*119*.

Protestãtes Nouatiani.

8. MANICHÆI reprehenderunt quòd

quòd Christiani Pascha & Pentecosten assumant, sed agnum non mactent, nec azymos edant per septem dies. circa annum 410. Contrà Augustin. aduers. Faustum. lib. *32*. ca. *11*. & *12*. Faustus contra Augusti. li. 32. cap. 3.

V.

P A T R E S.

1. NESTORIVS veterum scripta perdiscere dedignatus est, se ipsum omnibus antecellere existimans. circa annũ 427. Nonne & hodie Protestantes de-,, dignantur veterum Ecclesiæ Docto-,, rum scripta perdiscere? Quomodò a-,, lioqui negarēt orandum pro defunctis,,, quod tota per orbem semper docuit,,, prædicauit, & exercuit Ecclesia? Quod,, idem de aliis eorum erroribus sentiendum est, in quibus à fide Catholica impudenter discedunt. Contrà Socrat. lib. 7. cap. 32. Augustinus aduers. Iul. Pelag. in principio 2. libri. & lib. *1*. capit. 2. Ambrosius lib. *5*. epist. de tradendis Basilicis. Socrat. li. 7. cap. 32. Protestãtes veterum Patrum scripta cõtēnunt.

2. PETRVS

2. PETRVS Abailardus & Arnoldus Brixien. ab omnium sanctorũ Patrum fide ac doctrina discedere non curabant, Quòd illis cum Lutheranis & Caluinistis omnibus commune est. circa annum *1140.* Contrà Bernhardus in epistola 190.

Lutherani & Caluinistæ à doctrina Patrum discedere nõ curant.

VI.

PAVLVS.

1. PSEVDOAPOSTOLI dicebant, Paulum aut nõ esse Apostolum, aut ab aliis Apostolis constitutum esse. circa annum *60.* Contrà Galat. *1.* Apostolus non ab hominibus &c.

2. Cor. 1.

2. HINC Ebionitæ Pauli Epistolas reiiciunt. circa annum 80. Contrà 2. Petri 3.

3. HELCHESAITÆ etiam Paulum Apostolum reiiciebant. circa annum 240. Contrà Euseb. lib. *6.* ca. *11.* & 14. Gaius in disput. aduers. Proclum.

4. IOANNES Huss Artic. 2. Paulus nunquam fuit membrum Diaboli, licet fecerit actus quosdam actibus Ecclesiæ malignantium consimiles. circa annum

annum 1410. Contrà Ioann. de Turre Cremat. in Sum. de Ecclesia lib. 1. cap. 55. Iob 40. & Ioann. 1. Qui facit peccatum, ex Diabolo est.

VII.

PAVPERTAS.

1. APOSTOLICI docebant, neminem posse ad vitam æternam peruenire, nisi adeò sit pauper, vt nihil habeat proprium. circa annũ 195. Contrà Alphons. de Castro hîc eodem tit. hær. 1. Augustin. in lib. de hæres. ca. 40.

2. MESSALIANI & Euchytæ, siue Enthusiastæ, pauperum curam habendam negant. circa annum 389. Contrà Gregorius Nazianzenus scripsit elegantissimam orationem de pauperum amore.

3. VIGILANTIVS dicebat, eos meliùs facere, qui vtũtur rebus suis, & paulatim earum fructus pauperibus distribuũt, quàm eos, q. possessionibus venũdatis semel omnia largiuntur. circa annum 410. Hoc idem hodie Protestãtes dicunt ac docent. Contrà Hieron. aduers. Vigilantium.

4. GVLIELMVS de ſancto Amore paupertatis hoſtis, in libello quodã ſuo affirmabat, licitam quidem eſſe prom‑ptitudinem ad relinquendum omnia pro Chriſti nomine, cùm neceſſitas vrgeret; ſed illicitam eſſe illam paupertatem ſpontaneam, qua nondum ad id compulſus, renunciat quis omnibus, quæ poſſidet, vt liberiùs Chriſto inſeruiat. circa annum *1255*. Contrà Thomas de Aquino in 2. Secũdæ quæſt. *186*. Artic. 3. ad 2.

5. DESIDERIVS quidam Hæreſiarcha Lombardus, in tractatu quem edidit contra Catholicam veritatem, inter cætera condemnat ſtatum eorum, qui relictis omnibus egere volunt cũ Chriſto, dicens non eſſe licitum, antequàm neceſſitas vrgeat, ſua omnia pro Chriſto relinquere. Eodem tempore. Contrà Thomas de Aquino in Opuſculo contra impugnantes religionem. capit. *6*.

7. ADDEBAT Deſiderius, nõ niſi talem religionem intrandam, quæ poſ‑

ſeſſio‑

ſeſſiones habeat, ſaltem in communi:
Contrà Thomas ibidem.

VII.

PECCATA.

1. ACESIVS ſectę Nouatianorũ Epiſcopus, à Conſtantino Magno interrogatus, cur ſe à communione ſeiungeret? dixit, eos qui poſt Baptiſmum in illud peccati genus, quod Sacroſanctæ Scripturæ peccatum ad mortem appellant, delapſi fuiſſent, non debere diuinorum myſteriorum fieri participes: ſed ad pœnitentiam cohortandos, & remiſſionis ſpem non à Sacerdotibus, ſed à DEO expectandam, qui & poteſt, & authoritatem habet peccata remittendi. circa annum 320. Hinc manifeſtè patet, PROTESTANTES, qui nunc ſunt, cum NOVATIANIS eatenùs conſentire, vt neutri velint Sacramentum aliquod Pœnitentiæ eſſe, quod à Sacerdotibus miniſtrari queat, ſed pœnitentiam quidem aliquam fateantur, cuius tamen diſpenſandæ authoritas, non ſit penes Sacerdotes.

Socrat. li. 1. cap. 7.

Proteſtantes Nouatiani.

O 2 Contrà

Contrà Sozomen. lib. 1. cap. 21. Lactantius Firmianus de vera sapientia lib. 4. cap. 30.

Suprà de fide Num. 5.

2. EVNOMIVS fertur vsque adeò fuisse bonis moribus inimicus, vt asseueraret, quòd nihil cuiquam obesset quorumlibet perpetratio & perseuerãtia peccatorum, si huius, quę ab illo docebatur, fidei particeps esset. circa annum 363. Nonne hoc idem Lutherani & Caluinistæ docẽt, cùm nos ab omnibus peccatis, per solam fidem, hoc est, per genus quoddam fiduciæ, quam ipsi soli docent, iustificari contendunt? quã fidem qui habet, eum, quicquid delinquat, securũ de vita æterna esse iubent. Cõtrà Cyrillus Hierosolymitanus Cateches. 15. Basilius constitut. Monasticæ cap. 35.

Augustin. hær. 54.

Lutherani & Caluinistæ Eunomiani.

Augustin. hær. 82.

3. IOVINIANVS dicebat, omnia peccata esse paria. circa annum 360. Eodem tendit doctrina Protestantium, nõ discernẽtium peccatum mortale à veniali. Contrà Augustin. epist. 29.

Protestãtes Iouiniani.

4. Do-

4. Docebat etiam, non posse peccare hominem post lauacrum. Contrà Hieron. lib. 3. aduers. Pelag.

5. Manichæi docebãt, hominem non sua sponte, sed coactè delinquere. circa annum 410. Contrà Augustin. in lib. aduers. Fortunat.

6. Pelagivs patria Brito, professione Monachus, habebat discipulum, nomine Cœlestinum, qui vtrique docuerunt; peccatum ex primo homine in alios nõ propagatione, sed imitatione transisse. circa annum 415. Contrà Augustin. de peccatorum meritis & remission. lib. 1. cap. 11. August. de peccat. mẽtis libro 1. cap. 9.

7. Negabant prætereà, paruulos secundùm Adam carnaliter natos, cõtagium mortis antiquæ prima natiuitate contrahere. Contrà Augustin. ibid. cap. 16. & 18.

8. Dicvnt etiam, vitam iustorum in hoc seculo nullũ omninò habere peccatum. Contrà Concilium Mileuitan. can. 6.

Guido Carmelita.

9. ARMENI negantes vllum peccatum esse mortale, etiam ab omnibus Sacramentis virtutem conferendi gratiam tollunt. circa annum 605. Vndę tam Armeni, quàm Protestantes plerique putant, pueros absque Baptismo saluari posse. Contrà Gregorius in Iob. lib. 4. cap. 3.

Pueros absq; Baptismo saluari.

10. DICEBANT præterea, quædam esse peccata, quæ à nullo Sacerdote remitti possunt, Protestantes verò vix, ac ne vix quidē, vlla omninò peccata per Sacerdotes remitti docēt. Contrà Nycephorus Carthophylax in epistola ad Theodosium Monachum.

Protestātes nō cōcedūt per Sacerdotes peccata remitti.

11. ITEM peccatum simpliciter à dęmone esse aiunt, non autem omninò à libero arbitrio. Contrà Gregorius in Iob. lib. 33. cap. 20.

Guido in Sum. de hær.

12. HÆRETICI de Barulo dicunt, animas ante constitutionē mundi creatas, tunc etiam peccâsse. circa annum 1180. Contrà Cōcilium Lateranen. sub Innocen. III. ca. 1.

13. ALBIGENSES docebant, peccatum non esse à libero arbitrio. circa annum 1200. Contrà Gotfrid. Viterbien. in 1. parte Chronic.

14. BEGARDI dicebant, hominem in hac vita posse talem perfectionis gradum acquirere, vt reddatur penitus impeccabilis, nec ampliùs in gratia proficere valeat. circa annum 1310. Hęc Lu-„ theranorum hæresis est, quatenus di-„ cũt, nullum peccatum fidelibus impu-„ tari. Quod ipsum est, impeccabilem, „ quo ad peccati pœnam, fieri. Contrà Aluarus de planctu Ecclesiæ. libro 2. capit. 52.

Nullum peccatum fidelibus imputari.

15. IOANNES Huss defẽdit vnà cum VViclefo (teste Syluio in Bohem. histor.) quòd qui mortalis culpæ reus sit, is neq; seculari neq; Ecclesiastica dignitate potiatur, nec ei q̃s parêre debeat. circa annum 1410. Quæ hæresis ius omne humanum ac diuinum confundit & tollit. Et tamen eam defendentes, non videntur Lutheranis & Caluinistis fuisse hęretici, sed boni Catholici &

Æneas Syl. in Bohem. hist. ca. 35.

Euangelici. Contrà Gerſon de vita ſpirituali lect. *3*. B.

16. PETRI Dreſenſis Articulus ſecundus, Concilio Baſilienſi propoſitus is erat, vt omnia peccata mortalia, & præſertim publica eliminarentur. circa annum *1415*. Quibus verbis intelligebat, nullum peccatum mortale, quamlibet maioris mali euitandi cauſa, tolerari poſſe aut debere. Contrà Gerſon parte 1. in tractatu de Concil. general. vnius obedientia.

17. LVTHERVS primos motus, etiam quibus Chriſtiani reſiſtunt, volebat vera eſſe peccata, & nos coram Deo reos facere. Cõtrà Matth. *15*. Rom. *6*. & Sanderus in Sect. 183.

18. IDEM Lutherus docuit, Peccatum in renatis etiam pueris verè eſſe, ac manere; licet non imputetur ad pœnam, propter fidem in Chriſtum. Contrà Hoſius in Cõfeſſ. Catholica ca. *72*. Eſai. 43. Ioan. 1. *1*. Corinth. *6*. Roffenſis Artic. *2*. contra Lutherum.

19. ITEM

19. ITEM, Christianum etiam volentem nō posse perdere salutem suam, nisi nolit credere. Nulla eñ peccata posse damnare nisi solam incredulitatē; cætera omnia in momento absorberi per eandem fidem. Contrà Ruardus Tapper Tom.*2*. Artic.*11*. Galat.*5*. Augustin. in lib. de fide & operibus. Luther. in capt. Babyl. & de Sacramento Baptismi.

20. IVSTVM in omni opere bono peccare. Contrà Roffensis Artic.*31*. aduers. Lutherum. In assert. Art. 31.

21. LVTHERANI docēt, Omne peccatum per se, & suapte natura esse mortale, nullum veniale. Contrà *1.* Cor. *3.* *1.* Ioan. 5.

22. ANNO Domini 1570. in Suria Comitatu Angliæ apud Baustedium, orti sunt ex Caluinistarum Secta, sub VVrito quodam Duce, homines, qui se Vnctos appellant. Docent autem, peccare neminem, nisi qui veritatē ab ipsis prædicatam non recipit.

VIII.

POENITENTIA.

Hieron ad Marcellum.

1. MONTANISTÆ Pœnitentiæ virtutem velut nimiùm rigidã ſuſtulerũt, erubeſcentes peccata cõfiteri, quaſi iuſti. circa annum *175*. Contrà Clemens in *2*. Stromatum.

2. Ex literis Nouatiani, quas ad oẽs vbique ſcripſit Eccleſias, conſtat, illum non ab omni abhorruiſſe pœnitentia, ſed tantùm ab illa, quæ per ſacerdotes Dei miniſtros diſpenſabatur; Volebat enim ſolum Deum reconciliare peccatores, nec vllum inſtituiſſe ſignum ſeu Sacramentum pœnitentiæ, per quod iidem in Eccleſiam recepti eſſe cognoſcerentur. Propria enim Nouatianorum hæreſis hæc fuit, non poſſe eos, qui poſt Baptiſmum peccâſſent, per Sacerdotes in Eccleſia recipi. Cùm eñ tria, hoc eſt, dolor animi, oris confeſſio, & operis emendatoria quædam ſatisfactio pœnitenti neceſſaria ſit, vt is rectè à Sacerdote abſolui atque Eccleſiæ reconciliari queat; Nouatiani dolorẽ cordis, & ſatisfactionẽ operis nequaquam abſtulerunt; ſed potiùs ad iſta hortati ſunt.

Pœnitenti tria eſſe neceſſaria.

ſunt. Oris verò confeſſionem, & Sacerdotis ſacramentalem Abſolutionē penitus abſtulerunt. circa annū 251. Cōtrà Euſeb. lib. 6. ca. 39. Cyprian. lib. 1. epiſt. 2. & lib. 4. epiſt. 2.

3. MELETIVS Thebaidos in Ægypto Archiepiſcopus, lapſos non niſi poſt lōgum tempus ad locum pœnitentiæ admittendos eſſe voluit. circa annum 310. Contrà Nycæna Synodus Meletium Alexandro ſubiecit, vti videre eſt apud Theodoret. lib. 1. ca. 9.

4. SYMPRONIANVS, Nouatianæ hæreſis ſectator, dicebat, ſolum Deum ignoſcere poſſe pœnitenti: quod idem plerique Lutherani & omnes Caluiniſtæ hodie dicunt. Pacianus in epiſtola prima ad Sympronian. Et in epiſtola 3. ad eundē refert, hoc continere tractatum omnem Nouatianorū, quòd poſt Baptiſmum pœnitere non liceat, quòd mortale peccatum Eccleſia donare nō poſſit. circa annum 351. Contrà Pacianus ad eundem in epiſtola 2. & in epiſtola 3.

Pacian. ad Sempron. epiſtola 1. & 3.

Summa doctrinæ Nouatianorū de pœnitētia.

5. No-

5. NOVATIANI denique non credebant esse aliquod Sacramentum pœnitentiæ, sicut Baptismus est. Et in hac parte Lutherani & Caluinistæ eorum hæresin renouârunt. Contrà idem Pacianus epist. 3.

Lutherani & Caluinistæ hæresin Nouatianorum renouarunt.

6. ALBIGENSES quoque dicebant, quòd non possit quis pœnitere post peccatum. circa annum 1200. Contrà Concil. Lateranen. can. 1.

Optimam pœnitentiā esse nouam vitam.

7. LVTHERVS negat tres esse Pœnitentiæ partes, sed optimam pœnitentiam dicit esse, nouam vitam. Contrà Alphons. de Castro hoc loco hæres. 1. Roffen. contra assert. Lutheri Art. 7.

8. IDEM Lutherus affirmat, pœnitentiam, quæ ex timore gehennæ oritur, esse non solùm inanem, verùm etiam noxiam. Alphons. ibidem. hær. 2.

IX.

PEREGRINATIONES.

3. Ioan. Bernhard. Luzembur.

1. DIOTREPES quidam Apostolorum coæuus docuit, non esse impendendam humanitatis curam peregrinis.

circa

circa annum *70*. Contrà Exod. 23. Leuit. *23*. Iob 21. Matth. 25. Alphonſ. in loco Peregrinus hær. vnica.

2. CLAVDIVS Taurinenſis peregrinationes fidelium, præcipuè ad limina Apoſtolorum Petri & Pauli, velut minùs vtiles cauillabatur. circa annum 825.

3. PETROBRVSIANI ridebant peregrinationes fidelium. circa annum *1140*. Contrà Bernhard. in vita Malachiæ. Otto Friſingenſis Chron. libro 7. capit. *31*.

X.

PERFECTIO.

1. FAVSTVS ad AVGVSTINVM, Lib. 5. Æs in zonis, inquit, habere deſtiti, omnia mea dimiſi, vxorem, filios, voluptates. circa annum *410*. Contrà Auguſtin. aduerſ. eundem lib. 5. ca. *9*.

2. PELAGIANI & Celeſtiani dicunt, vitam iuſtorum in hoc ſeculo nullum omninò habere peccatum. circa annũ *41*5. Contrà Concil. Mileuitanũ ca. 6.

3. BE-

Suprà de peccatis. Num. 14.

Hominē esse impeccabilem, est hæresis Luthera- na.

3 BEGARDI dicebant, hominem in hac vita talem perfectionis gradum acquirere, vt reddatur penitus impeccabilis. circa annum 1310. Hæc Lutheranorum hæresis est, quatenùs dicūt, nullum peccatū fidelibus imputari. Quod est ipsos impeccabiles, quoad pœnam, fieri. Contrà Aluarus de planctu Ecclesiæ lib. 2. cap. 52.

4. ADHÆC dicebant, exercere se in actibus virtutis esse hominis imperfecti, & animam perfectam licentiare à se virtutes. Contrà Aluar. ibidem.

5. BEGVINI dicebant, Christum & Apostolos nihil habuisse, nec in proprio nec in communi; Vnde inferebāt, cōtra perfectionem Euangelicam esse, aliquid etiam in communi habere. circa annum 1320. Contrà Guido Carmelita in Summa de heresibus, in confutatione huius erroris. cap. 2.

6. ITEM dicebant, quòd status fratrum Minorum sit perfectior statu Episcoporum. Contrà Guido ibidem capit. 9.

XI.

XI.

PETRVS.

1. RHVTENI negant D. Petrum verum Papam & Romanæ sedis Antistitem fuisse. Protestantes etiam negant eum præ cæteris Apostolis maiorē habuisse potestatem. Idemque sentiunt de his,qui Petro in Papatu successerūt. Contrarium testantur omnes historiæ Christianæ.

2. PETRVM non fuisse Romæ,prętet Velenū, Functius in Chronologia sua fabulatur:quod idem Molinęus credit. Lutherus verò & Caluinus in dubium vocari facilè patiuntur, affirmare tamen non audent. Contrarium ostendit Sanderus in Secta 228. & lib. 7. pag. 244. & seq. Suprà tit. de Ecclesia. Num. 32.

XII.

PONTIFEX.

1. IVLIANVS Apostata, cùm antea fidem Christianā professus fuisset,subitò mutata Religione, se Pontificem (vtique Græcum) nominauit. circa annum 362. Hoc idem in CHRISTI religione Suprà tit. Papa.

Angliæ Rex Heinricus octauus, appellatus caput Ecclesiæ Anglicanæ.

„ imitatus Angliæ Rex Heinricus octa-
„ uus, abdicata sedis Apostolicæ vnitate,
„ se appellauit Summũ Ecclesiæ Angli-
„ canæ caput, quod perinde est, ac si se
„ Pontificem nominâsset. Contrà Theodoret. lib. 4. cap. *16*. Athanas. in epist. ad solitariam vitam agent.

2. VVALDENSES Summorum Põtificum canones & decreta nullius momenti esse dicebant. circa annum *1180*. Contrà Gratian. distin. 20. & *21*.

Platina in Pauli 2. vita.

3. IN Poli oppido in Æquicolis posito, hęretici erant, qui dicebant, nullum verè Christi Vicariũ fuisse eorũ, qui post Petrum fuerunt, nisi qui paupertatem Christi imitati sunt. circa annum *1460*. Hîc Heinricus Pãtaleon patefecit malam fidem suam: ita enim rem narrat. Poli, inquit, in Æquicolis quidam dicẽtes; Pontificem nullum post Petrum Christi in terris agere Vicarium, hæretici à Romana Ecclesia iudicãtur. Hæc Pantaleon velut ex Platina refert; cùm Platina id non dixerit. Ex quo apparet,
„ Protestantes per mendacia velle suam hære-

hæresim propagare. Vellent enim le-» ctori persuadere, tanquam aliqui semper (licet plerunque occulti) fuissent, qui restitissent Romanæ Sedis primatui. Verùm is, qui dicit, nullũ esse Vicarium Christi post Petrum, nisi qui paupertatem Christi imitatus est, vtique fatetur, eum qui post Petrum Pontificatu functus, Christi simul paupertatem imitatus est, verum Christi Vicarium extitisse. Non igitur fuerunt isti hæretici de Protestantium secta. Tam enim à legitimis maioribus isti aberrãt, vt malint videri occultis hæreticis, quã nullis omnino successisse. Contrà Dionys. Carthusian. in ca. 9. Lucæ.

Protestãtes per mẽdacia conãtur suã religionem propagare.

XIII.

POSSESSIO RERVM temporalium.

PRIMA VViclefi hæresis fuit, non licere Ecclesiasticis, tẽporales aliquas possessiones obtinere: adeò vt ne decimas eis deberi dixerit. Quod principiũ hæreses suas promulgandi, instituto

P eius

eius maximè opportunũ fuit. Ea enim re & apud laicos alios, qui diuitiis cleri iam inuidebant, & apud principes aliquot viros tantam gratiam iniit, vt Episcopis non liceret, in eum grauius aliquid statuere. circa annum 1394. Ad hanc verò hæresim pertinent 7. Articuli eiusdem VViclefi; puta 10. 16. 18. 32. 33. 36. & 39. Contrà Nicolaus de Lyra in moralib. super ca. 18. libri Numerorũ.

XIIII.

POTESTAS.

VVALDENSES asserebant, omnem potestatem tam laicalem quàm Ecclesiasticam amitti per peccatũ mortale. circa annum 1180. Contrà Alphons. de Castro hoc loco hæres. vnica.

XV.

POTESTAS ECCLESIAE.

Etiam Protestãtes hãc hæresim amplectũtur.

DONATVS ab Episcopis nouendecim, à quibus erat cõdemnatus, ad Cæsarem appellauit. circa annum 310. Ex quo apparet, schismaticos hoc animo iam olim fuisse, vt Imperatorum & Regum

gum tribunalia vellent Episcoporũ cognitionibus etiam in causis Ecclesiasticis anteferri. Quã hæresim multi Protestantium hodie sequuntur. Contrà Cõstantinus Magnus de Donatistis ait; O rabida furoris audacia. Sicut in causa gentilium fieri solet, appellationem interposuerunt.

XVII.

POTESTAS SECVLARIS.

SIMONIACA hęresis,(inquit Gregorius)nostris maximè temporibus cõcitauit aduersùs Ecclesiã Dei non modò innumerabilem populi multitudinem, sed etiam regiam potestatem, in tantùm, vt in Romanam Ecclesiam terrenæ ius potestatis vsurpet. circa annum 595. Puto autem quòd contra eam hæresim agat, qua Imperatores Græci non diu antè, nouo more adducti sunt, vt neminem paterẽtur Ecclesiæ Romanæ Pontificatum gerere, prę- terquàm,si pro sua confirmatione, certum tributum CÆSARI persoluisset: Quod cùm in quauis Ecclesia iniustum Sanctitatis

» fuisset; in Romana, quæ cæterarum ca-
» put est, nõ nisi iniquissimum fuisse exi-
» stimari debet. Cæterùm si hoc in Imperatoribus hæreticum est habitum, quid de Heinrico Octauo Anglorum Rege statuemus, qui summum Ecclesiæ Anglicanæ caput seipsum scribens, omnium Ecclesiarũ, & beneficiorum Ecclesiasticorum primitias sibi & suis vsurpauit? Contrà Gregorius in 4. Psalmum pœnitent.

XVIII.

PRAECEPTA.

1. LVTHERANI docēt, Deum præcepisse nobis impossibilia, quale illud dicebat esse Lutherus; Diliges Deum ex toto corde. Nec enim volebat illud præceptum sic interpretari, vt Spiritus Dei Ecclesiam docuerat, sed secũdùm suam voluntatem. Contrà Hosius de Confessione Catholica. cap. 74. Ruard. Taper Tom. 1. Artic. 2.

2. ITEM Euangelium nihil præcipere, nec venisse Christum vt legem ali-

quam ferret. Contrà Matth. 5. Sander. in Secta 188.

XIX.

PRAEDESTINATIO.

1. PRÆDESTINATORVM hæresis dicebat, nec piè viuentibus prodesse bonorum operum laborem, si à Deo ad mortem prædestinati fuerint: nec impiis obesse quòd impiè viuant, si à Deo prædestinati fuerint ad vitam. Hæc hæresis ex libris Augustini malè intellectis initium sumpsisse dicitur. Sigebert. in Chron. circa annum 430. Contrà Prosper Aquitanicus in responsionib. ad Cap. Gallorum ca. 6.

2. MAHOMET latrones, veneficos, aliosq; vetiti facinoris cõuictos, à Deo ad hoc dixit, certo consilio destinatos fuisse, vt sic morerẽtur. circa annũ 640. Cõtrà Isidorus de Summo bono lib. 2. capit. 5. & 6. Ecclesi. 15. DEVS nemini mandauit impiè agere.

DE CERTIS DVBIIS, QVÆ INTER CATHOLICOS HOC TEMpore, circa prædestinationem exorta sunt, quorum pleraque si quis pertinaciter defenderet, Semi Pelagianus habendus esset.

Ex Sandero.

In vrbe Massiliensi,& in reliqua Gallia viri quidã Ecclesiastici,lectis D. Augustini Opusculis,quæ contra Pelagianos ediderat, Pelagianos quidẽ pro hæreticis habuerunt; sed nonnulla in Augustini dictis Patrũ opinioni & Ecclesiastico sensui contraria putauerunt, circa annum 440.

I. *De iustitiæ principio.*

Supra de gratia. Numer. 6. Existimabant Pelagiani(vt Hilarius in episto. sua ad Augustinum refert)adiuuari gratia Dei eum, qui cœpisset velle; non etiam donari,vt velit. Contra hunc errorem D. Augustinus scripsit librum priorem, de prædestinatione Sanctorum,vbi ex scripturis probat,nihil nos habere,quod non accepimus. 1. Cor.4.

II. *De perseuerantia.*

Deinde quidquid donatũ sit prædesti-

destinatis, id eos amittere posse, & retinere propria voluntate. Contra istum errorem Augustinus scripsit posteriorem librũ de bono perseuerantiæ. Philippen. 1.

III. *De numero prædestinatorum.*

NON esse definitum eligendorum reiiciendorumque numerum. Contrà Augustin. de corrept. & gratia. ca. *13*.

IIII. *De prouisis paruulorum operibus.*

EX PARVVLIS tales baptizari antequàm moriantur, talesque mori antequàm baptizentur, quales futuros illos in annis maioribus, si ad actiuã seruarẽtur ætatem diuina scientia præuiderit. Contrà Augustin. de bono perseuerantiæ capit. *10*. Saluyan. Episcopus Massiliensis de iudicio & prouidentia Dei lib. 4.

V. *De prædestinationis doctrina.*

PRÆDICATIONE prædestinationis audientibus plus desperationis, quàm exhortationis adferri. Contrà Augustin. de bono perseuerãtiæ ca. *17*.

VI. *An omnibus offeratur gratia.*

ARBITRABANTUR, velle Deum omnes homines ſaluos fieri, vt nullus habeatur exceptus, ſed propitiationē, quæ eſt in Sacramento ſanguinis Chriſti, vniuerſis hominibus ſine exceptione eſſe propoſitam. Contrà Celeſtinus Papa in epiſtola ad Epiſcopos Galliæ, cap. 2. 5. 6. & 9.

EPILOGUS.

PRÆDICTARUM opinionum aſſertores licet manifeſtè errauerint, tamen hæretici iure habendi non ſunt, quia ſic à S. Auguſtino diſſenſerunt, vt & ipſius ad dicta, quæ antè ſcripſiſſet, & ad alios Catholicos Patres, & ad Sedem Apoſtolicam prouocarent. Vnde nec in eis pertinacia fuit, nec vllum nomen apud antiquos hæreſum cenſores acceperunt.

XX.

PRAESCIENTIA.

INTER multos errores, quos Guido Carmelita tribuit Albanenſibus, etiam

etiam is vnus est, quo dicunt; Deum nō præscire ex se aliquod malum, sed per aduersarium suum, scilicet dæmonem, circa annum 796. Contrà Exod. *3.* Lucæ *11.* & 19. *1.* Ioan. *6.* Alphons. de Castro hoc loco hær. vnica.

XXI.

PRAEDICATIO.

1. VVALDENSES docebant, Liberam esse cuicunque Christiano Verbi Dei prædicationem, adeò vt quamuis à superiore sit prohibitus ne id agat, ille tamen possit prædicare Verbū Dei, circa annum 1180. Æneas Syl. de orig. Bohem. ca. 35.

2. EVNDEM errorem posteà docuit Ioannes VViclef. Et hunc secutus est Ioannes Huss, veluti discipulus Magistrum, qui vt insaniam præceptoris augeret, dicebat, eum qui propter superioris prohibitionem desinit prædicare Verbum Dei, esse eo ipso à Deo excommunicatum. Contrà Roman. *10.* Hebræorum 5. Alphonsus hîc hæres. vnica.

3. Tertius Articulus à Petro Dresensi & aliis Hussitis Concilio Basiliẽsi propositus, fuit talis; Vt Verbum Dei à Sacerdotibus Domini, & Leuitis idoneis liberè p̃dicaretur. circa annũ 1415. Gerson prima parte in Sermone habito in Concil. Rẽmẽsi, Dominica 2. post Pascha.

XXII.

PRINCIPIA.

Epiphan. hær. 66. *1.* Manichæi posuerũt duo principia contraria & coæterna: Deum & materiam; lucem & tenebras; bonum & malum. circa annum *210*. Contrà Minutius Felix in Dialogo, qui Octauius inscribitur.

2. Favstvs Manichæus ad Augustin. Pagani corporalia & diuina vnum habere principium dogmatizârũt: ego bonis omnibus principiũ fateor Deum, contrariis verò Hylen. Vos igitur estis schisma gentium, quia cum gentibus in hac re conuenitis. circa annum 420. Contrà Augustin. aduersùs eundem libro *20*. ca. *19*.

3. ALBIGENSES ponebant duo principia, malum & bonum, id est, Deum & Diabolum, quẽ credebant creâsse corpora omnia. circa annum 1200. Contrà Cõcil. Lateran. sub Innocen. III. ca. 1.

XXIII.

PROMISSA DIVINA.

NEPOS Ægyptius Episcopus Chiliasta, promissa in sacris Scripturis, quæ sanctis viris fiebãt, præstanda in hoc seculo docẽs, dicebat homines mille annis victuros in deliciis corporis & voluptate, adeò vt non modò schismata nascerentur, sed integræ Ecclesiæ à fide deficerent. circa annum 260. Contrà Dionys. Alexandrin. in duobus lib. de promissis, Nepoti viro alioqui non malo contradixit. Euseb. li. 7. cap. 19.

XXIIII.

PROPHETA.

1. SIMON Magus docuit, Prophetas ab Angelis inspiratos prophetâsse. circa annum 50. Contrà 2. Petri 1. Spiritu sancto inspirati locuti sunt Sancti Dei homines &c.

2. Ap-

2. APPELLES dicebat, Prophetas contrario ſpiritu fuiſſe inſpiratos, & ideò contraria dixiſſe. Vnde inferebat, prophetias eſſe falſas, nihilque in illis eſſe veritatis, eò quòd ſe ipſas arguerēt, & ſibi ipſis aduerſarentur. circa annum *170*. Contrà Luc. *1*. Pſal. 44. Hebræ. *1*. Alphonſ. de Caſtro hîc hæreſ. *1*.

3. MONTANVS adhuc Neophytus inſatiabili primatus cupiditate incenſus, cœpit aliter prophetare, quàm Eccleſiæ conſuetudo poſtulabat. circa annum *175*. Cōtrà Zoticus & Iulian. Epiſcopi apud Euſeb. lib. *5*. cap. 15.

4. MONTANISTÆ appellabāt eos animales, qui nouam non attenderent prophetiam. Eod. tēpore. Contrà Clemens in *4*. Stromat.

Hieron. ad Marcellū. 5. DOCENT etiam, Prophetas fuiſſe arreptitios, nec intellexiſſe q̄ dicerent. circa idem tempus. Contrà Miltiades apud Euſebium lib. *5*. cap. *16*.

6. MANICHÆI contra Auguſtin: Nihil eſt cur Prophetas accipere debeamus, nec enim de Chriſto prænunciārunt.

ciârunt. circa annum *410*. Contrà Augustinus aduersùs Faustum. lib. *12*. capit. *2*.

7. AIVNT etiam: Testimonia nobis ante fidem sunt inutilia, quia Gentiles cùm simus, non credimus Hebręis. Eodem tempore. At contrà Augustinus eadem Prophetarum testimonia, & ad homines conuertendos, & ad eosdem ab hęresi muniendos vtilia esse demonstrat. Vbi etiam declarat, quo manifesto signo vera Christi Ecclesia cognoscatur. Nec aliud signum edit, quàm vt illa Ecclesia vera esse existimetur, QVÆ OMNIBVS SECTIS EMINET, vtpotè nunquam abscondita, sed in oculis omniũ omni tempore posita. Cùm ergo Protestantes fateantur, Ecclesiam suam aliquando latuisse, nõ potest illorum vera esse Ecclesia. August. cõtra Faustũ. lib 13. capit. 14. Certissima veræ Ecclesiæ nota.

8. PHYLASTRIVS in Catalogũ hæresum retulit etiam hãc, quæ asserebat; Malos Reges, aut Pseudoprophetas nõ à sua venire voluntate, sed à Dei iussione procedere. Licet huius hæresis nullum

lum indicauerit authorem. Quicunq; tamen fuerit, errauit, & turpiter errauit. Contrarium eñ sacræ literæ testantur. Hiere.*27*. Ose.8. 3.Reg.*12*. Ezech. *14*. Psal. 80. Rom.*1*.

XXV.

PVERI.

HIERARCHAS pueros, ante cognitionem, & merita certaminis morientes, reiecit à spe regni. circa annũ *270*. Contrà Cyprian.lib.*4*.epist.*6*.

XXVI.

PVRGATORIVM.

1. ARMENI negabant vllum esse Purgatorium, in quo minora fidelium delicta emendentur. circa annum *603*. Contrà Gregor.in Dialog.4.ca.*34*.

2. SIC ETIAM Græci Purgatorium ignem reiecerunt, contendentes illa verba Pauli (Ipse saluus erit, sic tamen quasi per ignem) de igne quidem, qui post mortem secuturus esset, verùm de perpetuo igne inferni, ac non de temporali & Purgatorio quopiam igne intelligi

telligi posse. circa annum 1000. Contrà Ambrosius in 1. Corinth.*3.* Augustin. in Psalm.37. Gregorius lib.4. Dialog. cap.37. Damascen. in Orat. de dormientibus.

3. EX ALTERA verò parte, quidam ex Græcis putabant, etiam ignorationem ipsius fidei, per cognitionem in alio seculo reuelatam, in nonnullis purgari posse. Id quod Damascenus in Orat. de dormientibus videtur opinari. Eodem tempore. Contrà Beda in Psal.*37.* Ignorationem fidei in futuro seculo purgari.

4. PSEVDOAPOSTOLICI non credunt ignem Purgatorium restare post mortem. circa annũ 1150. Contrà Petr. Lombard. lib.*4.* dist.*21.*

5. VVALDENSES quoque negant post hanc vitam esse Purgatorium. circa annum *1180.* Contrà Otto Frising. Chron. lib.8. ca.2*6.*

6. ALBIGENSES Purgatorium nihil esse dicunt. circa annum *1200.* Contrà VVilhelm. Durand. lib.*4.* de officiis diuinis cap. 4*5.*

7. FLAGELLANTES dicunt: Purgatorium non esse, nec viuentium suffragia defunctis prodesse. circa annum 1300. Contrà Haruæus in *1*. Corinth. *3*. Thomas de Argentina. libro 4. distin. 45. quæst. *1*.

8. LVTHERVS docuit, animas in Purgatorio existentes non esse extra statum merendi aut demerendi. Contrà Eccles. *6*. & 7. Ioan. *9*. Galat. *6*. *2*. Corinth. 5.

9. Ex HOC errore alium collegit errorem æquè insanum, animas in Purgatorio de salute sua non esse securas. Contrà Alphons. hìc hæres. 3.

10. TANDEM eò demētiæ lapsus est, vt diceret; animas sine intermissione peccare in Purgatorio, quàm diu quærunt requiem & horrent pœnas: quia quærunt (vt is garrit) quæ sua sunt, contra voluntatem Dei. Contrà Alphonsus ibidem hær. quarta.

CLAS-

CLASSIS HÆRESVM DVODECIMA.

Q. R.

QVADRAGESIMA.

MONTANVS introduxit tres Quadragesimas, quasi tres passi sint Saluatores. Et hęc sunt noua ieiunia, q̃ Theodoret. narrat, Mõtanum præter Ecclesiæ consuetudinem introduxisse. circa annum 175. Contrà Hierony. ad Marcellam. Et Sander. in Sect. 32. Hieron ad Marcellam.

II.

QVATERNITAS.

THEODORVS Mopsuesthenus Quaternitatẽ pro Trinitate impiè dogmatizauit, vt cæteri Nestoriani, & Anastasius Imperator: qui posteà eãdem hæresim propagâsse traditur. Dum em̃ vni Christo duæ personæ tribuuntur, fit To Concilior. 2. Synod. 5.

quaternitas. Quam blaſphemiam confutauit Proclus Conſtãtinopolitanus.

III.

REGNVM COELORVM.

1. CERINTHVS putabat Regnum Christi futurum terrenum poſt reſurrectionem, & in regno illo futuro eſſe carnis delitias; quod regnũ dicebat duraturum in hac vita per mille annos. circa annum *70*. Contrà Alphonſus de Caſtro in loco de Beatitudine hæreſ.*2*. Suprà de beatitudine. hær.*1*.

Hieron. lib. aduerſ. Pelag. *2.* PELAGIANI & Cœleſtiani docebãt, regnum cœlorum in veteri Teſtamento repromitti. circa annum 4*15*. Cõtrà Hieron. lib. 1. aduerſ. Pelagian. & Auguſtin. contra Fauſtũ lib.*19*. ca. 31.

III.

RELIGIO.

1. DESIDERIVS quidam Hæreſiarcha Lombardus dicebat, non niſi talem religionem intrandam, quę poſſeſſiones habeat ſaltem in communi. circa annum 12*60*. Contrà Thomas in Opu-

Opusculo aduersùs impugnantes religionem. cap.6.

2. VOLEBAT etiam nullam religionem esse licitam, nisi quæ de labore manuum viuere intendat. Eod.tempore. Contrà D. Thomas ibid.

3. VVICLEFVS contra institutionẽ religiosæ vitæ, & contra eos, qui sustentant religiosos eleemosynis agit, in Articulis vndecim; adeò vt dicat, Augustinum, Benedictum, Bernhardum, & omnes religiosos esse dãnatos, nisi eos pœnituerit. circa annum 1394. Contrà Lyranus in Moralibus capit.9. Matth. Idem in ca.33. Ezechielis.

IIII.
RELIQVIAE.

1. EVNOMIVM, & post eum Vigilãtium Reliqas Sanctorũ irridere solitos fuisse testatur Hieronymus aduers. Vigilãtium his verbis: Rides de Reliquiis Martyrũ, & cum authore huius hæresis Eunomio Ecclesiis Christi calumniam struis. Contrà Hieron. ibid. Damascen.

lib. 4. de fide Orthodoxa ca. 3. Concil. Gangren. ca. 20. Dionyſ. Areopagit. lib. de Eccleſiaſt. Hierarchia. ca. 7. Alphōſ. de Caſtro hoc loco hæreſ. vnica.

2. VVICLEFISTÆ, qui vt omnes ritus Eccleſiaſticos tollerent, omnes cæremoniis ab Eccleſiis abigerent, inter alias ſuas blaſphemias hanc vnam docuerūt; Reliquias videlicet Sanctorum, hoc eſt, carnes & oſſa hominis mortui, non debere à populo venerari, neque à monumento fœtido extrahi, nec in capſa aurea vel argentea reponi; quia ſic facientes (vt illi aiunt) non honorent Deum, & Sāctos eius, ſed idololatriam committant. circa annum *139*4. Contrà Alphonſ. de Caſtro ibidem.

Venerationē reliquiarū eſſe Idololatriam.

V.

REMISSIO CRIMINVM.

1. AIEBANT Nouatiani ſe Domino deferre reuerentiam, cui ſoli remittendorum criminum poteſtatem reſeruēt. circa annum *351*. Hinc apparet, vt alibi diximus, Nouatianos non prorſus pœniten-

Ambroſ. libro 1. ca. 2. de pœnitēt.

nitentiam abstulisse, imò, vt Ambrosius dicit, ipsi pœnitentiam inducebant, sed eandem non relaxabant; cùm tamen (vt idem Ambrosius ait) qui soluendi ius non habet, nec ligandi habeat. Sed Nouatiani solùm negabãt, Sacerdotes Ecclesiæ posse fideles à peccatis maioribus absoluere, præterquàm in Baptismo. Contrà Ambrosius lib. 1. de pœnitentia. cap. 2. Libro 1. ca. 1. Cap. 2.

2. ARMENI dicebant, esse quædam peccata, quæ à nullo Sacerdote remitti possint. circa annum 603. Protestantes verò vix, ac ne vix quidem, vlla omninò peccata per Sacerdotes remitti docent. Contrà Nycephor. Charthophylax in epistola ad Theodosium Monachum. Suprà de peccatis. Num. 10.

3. CALVINISTÆ quidam, qui dicũtur Vncti, hoc tempore docent; Cui semel remissa sint peccata, eum nõ peccare iterum. Contrà Apocalyp. 2. Et 2. Petri 2. Vncti.

VI.

RESTITVTIO ABLATORVM.

Albigenses dicebant, quod nõ teneatur q́s restituere ablata. circa annum 1200. Contrà Concilium Lateranen. parte 1. cap. 27. Alphonsus hoc loco, hæres. vnica.

VII.

RESVRRECTIO.

Epiphan. hær. 21. 1. Simon Magus interitum carnis asseruit, negata resurrectione. circa annum 50. Contrà Clemens Apostol. cóstitut. lib. 6. cap. 9.

2. Psevdo quidam Apostoli inter Corinthios dixerunt, quòd non sit resurrectio mortuorum. circa annum 60. Contrà D. Paulus: Si resurrectio, inquit, mortuorum non est, neque Christus resurrexit &c.

3. Hymenævs & Phyletus à veritate exciderunt, dicentes; Resurrectionem esse iam factam, & subuerterunt quorundam fidem. circa annũ 65. Contrà 2. Timot. 2. 17.

4. Gnostici dicebant, Resurrectionem animarum esse, nõ corporum. circa

circa annum 120. Contrà Iustinus in Apolog. 2.

5. CERDON quoque & Marcion resurrectionem animarum probant, corporis negant. circa annum *140*. Contrà Polycarp. in epist. ad Philipp. cuius Irenæus meminit lib. *3*. cap. *3*.

6. APPELLES carnis resurrectionẽ negabat. circa annum *170*. Contrà Irenæus lib. 5.

7. ARABICI animas vnà cum corporibus mori & resurgere dixerunt. circa annum 220. Cõtrà Athenagoras de resurrectione mortuorum.

8. ORIGENEM dicũt in eo errore fuisse, vt putaret; Corpora post resurrectionem futura iterum mortalia, & post illã resurrectionem multis seculis trãsactis in nihilum redigenda. circa annũ 240. Contrà Rom. *6*. *1*. Cor. *15*. Apocalyp. *21*. Alphons. hîc. hær. 3.

9. ORIGENISTÆ dicunt, carnem hanc non resurgere. Eodem tempore. Contrà idem Athenagoras de resurrectione mortuorum.

10. HIERARCHAS item negauit carnem resurgere. circa annum 270. Contrà Hyppolitus in Orat. de cõsummat. mundi,

Gregor. Turon. li. 10. Num. 13.

11. QVIDAM presbyter Ecclesiæ Turonen. in Gallia, dicebat, non esse futuram nostræ carnis resurrectionem; quia in Psalmo dicitur, quòd non resurgent impij in iudicio. circa annum *550.* Contrà Gregorius Turonẽ. histor, lib. *10.* Num. 13,

Gregorius lib. 14. in Iob. ca. 29.

12. EVTYCHIVS Constantinopolitanus Patriarcha corpus nostrum in illa resurrectionis gloria impalpabile, ventis aëreque subtilius esse futurum scripserat. circa annum 328. Contrà Gregorius Magnus in Iob. lib. *14.* ca. *29.*

13. PRISCILLIANISTÆ dicebant, plasmationem corporum humanorum diaboli esse figmentum, & ideò ea non resurgere. circa annũ 480. Contrà Leo in epistola *91.*

Guid. in Summa.

14. ARMENI, omnes in virili, nullum autem in fœmineo sexu resurre-

ctorum asserunt. circa annum 603. Contrà Gregor. in Iob. lib. 3. ca. 7.

15. EISDEM Guido etiam hunc asscribit errorem, quòd docuerint: Christum surrexisse à mortuis die Sabbati post Parasceuen hora sexta. Eodē tempore. Contrà Matth. 12. Luc. 18.

16. GRÆCI Sanctorum animas non putabant in cœlum, atque ad aspectum Dei ante resurrectionem admittendas, licet beatè eas agere, & ꝓ nobis orare, nostrasq; preces exaudire fatebantur: quanquā ipsa opinio nec propria Græcorum fuit, nec ab illis pertinaciter defensa est in Concilio Florentino. circa annum 1000. Contrà Episcopi Germaniæ, Galliæ, Aquitaniæ in Synodo Francofordien. ad Episcopos Hispaniarum scripserunt.


17. BOGOMILI dicebant, nō aliam esse resurrectionem, præter pœnitentiam & vitam Euangelicam. circa annum 1080. Contrà Theophylactus in 1. Corinth. 15.

18. ALMARICVS negabat resurrectionem corporum, Paradysum, infernum, & idearum in mente diuina æternitatem. circa annum *1204*. Contrà Cōcil. Lateranen. sub Innocen. III. ca. 2.

CLASSIS HÆRESVM DECIMATERTIA.

S.

SABBATVM.



SAbbatarii dicunt, non Dominicam diem colendam; Patremque, non item Filium, & Spiritum sanctũ esse inuocandum.

II.

SACERDOTIVM.

1. SIMONIS Magi sacerdotes & sectatores libidinose viuebāt, & incantationibus vtebantur. circa annũ *50*. Contrà Iudas in sua Epistola.

2. Ev-

2. EVSTACHIVS, benedictionem & communionẽ presbyteri habentis vxorem, quam lege, cùm laicus esset, duxisset, declinandam pręcepit. circa annum 328. Licuit igitur laico apud Græcos vxorem ducere, & posteà sacerdotio fungi. Sed post sacros ordines nunquã licuit vxorem ducere. At Protestantes, nullo nec Latinorum, nec Græcorum exemplo, repetunt coniugia, quoties libet, etiã post sacrorum ordinum susceptionem. Contrà Paphnutius Cõfessor apud Sozomen. lib. *1.* ca. 22. Concil. Neocæsarien. ca. *1.* Socrat. li. 1. cap. 33. Protestãtes Sacerdotib. cõcedũt cõiugia.

3. AERIVS dicebat, Presbyterũ ab Episcopo nulla differentia debere discerni. circa annum *370*. Hoc idem Lutherani & Caluinistæ dicunt. Contrà Epiphan. hæres. *75*. Augustin. hær. 53.

4. DONATISTÆ raserunt capita Sacerdotum, vt sacrã Vnctionem aufferrent. circa annum 400. Porrò Lutherani & Caluinistæ negãt vngi debere Sacerdotes, in eo peiores Donatistis. Cõtrà Optat. lib. 2. Negant Sacerdotes vngi debere.

5. PAV-

5. PAVLICIANI Sacerdotes Ecclesiæ non recipiunt. circa annum 790.
Euthy. parte 2. tit. 21. Non recipiũt Sacerdotes.
" Nec Protestantes eosdem recipiunt.
" Contrà Alcuinus in lib. de diuinis officiis sub tit. de Ecclesiast. ordine.

6. VVALDENSES asserũt, Sacerdotem amittere consecrandi potestatem, si peccatum mortale commiserit. circa annum 1180. Cõtrà Alphonsus hîc sub tit. de Sacerdotio hær. 5.

7. FLAGELLANTES dicebant, post-
" quàm aduenisset ipsorum secta, Euan-
" gelium Christi, & sacerdotium Eccle-
" siæ cessare. circa annum 1350. Contrà Haruæus in ca. 7. ad Hebræ.

Æneas Syl. de orig Bohem. ca. 43.
8. OREBITARVM Secta profitebatur Catholicos Sacerdotes, si quos intercępissent, aut igne cremare, aut alio modo vel mutilare, vel occidere. circa annum *1418*. Contrà Antoninus parte *3*. tit. 14. ca. 7. §. *1*.

Omnes ex æquo sacerdotes nasci.
9. LVTHERVS negat, vllos esse in nouo Testamento Sacerdotes publicos, sed vult, omnes ex æquo Sacerdotes

tes nasci. Contrà, Sacerdotes externos à Christo institutos esse, ad lõgum docet hîc Sanderus in Secta 204.

10. AIT verò quemlibet sacerdotem posse exercere munus Episcopale. Quę hæresis fuit Richardi Armacani. circa annum 1360. Contrà Concil. Hispalen. ca. 5.

11. NON vult omnino Sacerdotes esse cœlibes. Alphonsus in lib. hæresum tit. de Sacerdotio. hær. 4.

III.

SACRVM.

CVM Protestantes viderent, Sacrorum altarium mentionem passim apud antiquissimos Patres fieri: dixerũt, vnicum saltem Altare in quolibet templo fuisse, & vnicum Sacrum in eo templo eodem die celebrari solitum esse. Contrarium ostendit noster Sander. in Secta 204. §. Cùm Protestantes.

IIII.

SACRAMENTVM.

1. AR-

Guido Carmelita. in Summa.

1. ARMENI negātes vllum eſſe originale peccatum, etiam ab omnibus Sacramentis conferendi gratiam tollunt. circa annum 603. Et in hoc Proteſtantes imitātur illos. Vnde tam Armeni, quàm plerique Proteſtantes putant, pueros abſque Baptiſmo ſaluari poſſe. Contrà Gregor. in Iob. lib. 4. cap. 3. & lib. 12. Indict. 7. cap. 10. Et Dialog. li. 4. capit. 58.

Proteſtātes cum Armenis conſentire.

Suprà de Euchariſtia.

2. PAVLICIANI, vt dictum eſt, elementum ſeu materiam ſuſtulerūt à Sacramentis, totamq; rem ad nudam prędicationem redegerunt. circa annum 790. In quo non longè ab illorum opinione abſunt Caluiniſtæ. Contrà Paſchaſius in libro de corpore & ſanguine Domini.

Caluiniſtæ Pauliciani.

3. IOANNES Huſs recipit quatuor tantùm Sacramenta. Quintum, id eſt, Pœnitētiam, ex parte impugnauit. circa annum 1410. Quomodò igitur Foxus, & cæteri Caluiniſtæ, VViclefitas & Huſſitas pro anteceſſoribus habēt, cùm Cal-

Caluinistæ ne quatuor quidem, sed „ duo tantùm admittant Sacramenta? „ Nam legitima Sacramentorum cele- „ bratio, etiam secundùm ipsos, vna ex „ illis notis est, per quas vera Ecclesia co- „ gnoscitur. Contrà Æneas Syluius in „ epistola 130. „

4. LVTHERVS in captiuitate Ba- „ bylonica: Non hæc, inquit, dico, quòd „ damnem Sacramēta septem, sed quòd „ è Scripturis ea probari negem. Pòst autem; Si rigidè, inquit, loqui volumus, „ tantùm duo sunt Sacramenta, Baptis- „ mus, & Panis. „

Luther. nō dānat Sacramēta, scilicet.

5. TRIA VERÒ Sacramenta posuit Iacobus Præpositi Flāder, & in ea perfidia Bruxellis combustus est. Is Baptismo & Eucharistiæ, Pœnitentiam adiecit. Quod etiam in Lypsensi districtu obseruatur.

6. MELANCHTHON porrò etiam illis tribus quartum, Ordinis videlicet Sacramentum annexuit. Quæ „ inconstantia satis declarat, illos non „ intel-

Lutherani non intelligunt de quib. affirment.

„ intelligere, quid loquantur aut de qui-
„ bus affirment. Contrà, Sanderus hîc in Secta *103*. Septem esse Sacramenta probat. Quæ doctrina confirmatur per Concilium Florentinnm, & Tridentinum.

7. INTER alios plures Lutheri errores etiam is vnus numeratur, quòd dicit; in nullo Sacramento imprimi characterem: sed hoc asserere ait esse meram nouorum Theologistarum fictionem. Quod tamen falsum esse, ex Doctorum sacrorum testimoniis conuincit Alphons. de Castro lib. 4. tit. character, hær. vnica.

In nullo Sacraměto imprimi characterem.

Lutherus à Sacramětis gratiã exclusit.

8. ADHÆC etiam Sacramentorum
„ gratiam exclusit. Cuius impietatem se-
„ ctatus Caluinus, contendit, Sacramen-
„ ta esse nuda signa bonæ voluntatis Dei
„ erga nos, & ideò aliquam significandi, sed nullam sanctificandi internam vim habere. Contrà Sanderus ibid.

Caluin. in Antidoto.

9. NEGANT Caluinistæ intentionem in ministris requiri, dum Sacramenta

menta dispensant. Contrà Sander. indict. Sect. 203. circa fin.

10. LVTHERANI negant, Sacramẽta ex opere operato, (id est, ex vi & potestate diuini operis, quod in illis dispẽsandis à Ministro fit) gratiam non ponenti obicem conferre. Contrarium doctissimè probat Sanderus dicto loco circa finem. Opus operatum.

V.

SACRIFICIVM.

1. CARPOCRATES sacrificabat imaginibus tanquã Diis. circa annum *120.* Contrà Iustin. in Apolog. 2. Epiphan.

2. FAVSTVS Manichæus dicebat; Sacrificia credo esse velut Idololatriam. circa annum *410.* Contrà Augustin. aduers. eundem lib. *5.* ca. 5. Id etiã hodie sentiunt Lutherani & Caluinistæ.

3. ADHÆC, Pagani ait, aris, simulachris, victimis Deum colunt. Ego honores diuinos ac sacrificia in solis orationibus, & ipsis puris ac simplicibus pono. Eodem tempore. Manichæi ergo non admittebant externa sacrificia
„ Lutherani & Cal-
„ nistæ Ma-
nichæi.

R vlla,

„ vlla, ſed ſolis orationibus Deum cole-
„ bant. Qua in re illos imitantur Lutherani, Zuingliani ac Caluiniſtæ, qui negant, publicũ ac externum ſacrificium & ſacerdotium eſſe in nouo Teſtamẽto. Itaq; non culpant ſolùm, quòd offertur dæmoniis (vt Gentes impiè fecerũt) nec ſolùm quòd Iudaico ritu offertur (quòd nunc non licet) verùm culpant, quòd ritu noui Teſtamenti, vero Deo veri Mediatoris ſacrificium offeramus. Contrà Auguſtin. aduerſ. Fauſtum lib. *20*. cap. *18*.

4. ARMENI cultu Iudaico boues & agnos ſacrificabant, & in Paſchate non corpus Dominicũ, ſed agnũ igni aſſum ſumunt. circa annum *603*. Cõtrà Sander. Sect. 118. litera g.

Lutherãi & Caluiniſtæ Bogomili diſcipuli.

5. BOGOMILI myſticum venerandũ
„ ſacrificium contemnunt, vt hodie Lu-
„ therani & Caluiniſtæ. circa annũ *1080*. Contrà Iuo Carnotenſis Epiſcopus in epiſt. ad Hamericum Abbatem.

VI.

SALVS.

1. SIMON Magus, secundùm ipsius gratiam, dicebat saluari homines, non secundùm operas iustas, quibus vacare seruitus esset. circa annum 50. Contrà 2. Petri 2.

2. MENANDER, Simonis Magi discipulus; dicebat; se ab inuisibilibus missum pro salute hominum. circa annum 70. Contrà Colossen. 2. Nemo vos seducat &c.

3. VALENTINIANI dicebāt, animam solam, non corpus saluari. circa annum 145. Contrà Iustin. in Apolog. 2.

4. LVTHERVS absolutè quemlibet fidelem de salute sua certum esse vult, ac firmiter statuere, sibi priuatim remissa esse peccata; & hanc esse fidē quæ iustificet. Contrà Caietanus de fide & operibus capit. 2. & 3. Fides iustificans.

VII.

SANCTI.

1. VIGILANTIVS dicebat, Apostolorū & Martyrū animas nō posse suis tumulis, & vbi voluerint, adesse p̄sentes. circa

Protestã- tes Vigilã- tij sectatores. " annum 410. Hoc idem dicunt & Pro- " testantes. Contrà Hieron. epist. 103.

2. PRÆTEREA nullius mortui orationem pro alio exaudiri dicebat. Sic

Sanctos cũ Christo viuentes vocant mortuos. " hodie Protestantes cum Vigilantio, cũ " Christo viuentes vocant mortuos, negantq; illos audire preces nostras, ac ob id inuocandos non esse.

Damascen. hær. 92. 3. THEOCATAGNOSTÆ in Deo & Sanctis nonnulla reprehendebant. circa annum 640. Contrà Olympiodorus in Ecclesiasten ca. 2.

4. ICONOMACHI Catholicos imitari cupientes, Synodum Constantinopoli sub Copronymo cõgregârunt, quę septima est falsò nominata, in qua Pseudosynodo inuocationẽ Sanctorum secundùm antiquam Ecclesiæ fidem semel confessi sunt iis verbis, quæ habentur in Act. 6. secundæ Synodi Nycenæ

Decretũ de Sanctorum inuocatione. " To. 6. definitione 17. Si quis non confi- " tetur Sanctos venerandos esse, coram " Deo, & anima & corpore, & horum in- " terceßiones non petierit, vtpote qui li- " bertatẽ apud Deum habeant, pro mundo,

do, secundùm Ecclesiasticam traditio- „
nem, interuenire, anathema. De qui- „
bus tamen verbis pœnitentiam posteà egisse dicuntur, eaque delesse ex libris suis. Talis est hæreticorum inconstantia. circa annum 720. Contrà Epiphan. in secundi Nicæni Concilij Actione 6. Tom. 1. Hæreticorũ inconstantia.

5. CLAVDIVS Taurinensis aduersùs Reliquias & sepulchra Sanctorũ, quædam nefanda dogmatizauit. circa annum 825. Contrà Ionas Aurelian. in lib. 1. de cultu imaginum.

6. PETROBRVSIANI & Heinriciani ridebant inuocationes Sanctorum. circa annum 1140. Contrà Bernhard. in Cant. sermo. 66.

7. HOC idem faciebant etiam Pseudoapostolici. circa annum 1150. Contrà Theophylactus in cap. 11. Episto. Pauli ad Hebræ.

8. LVTHERVS etiam hodie in eadem damnatione persistit. Contrà Alphon. hîc hær. vnica.

VIII.

SATISFACTIO.

LVTHERANI dicunt; post peccata etiam grauissima, satisfactio nulla facienda est à nobis, ne satisfactioni Christi „ derogemus. Quoniam, vt illi aiunt, di„ missa culpa, omnis etiam pœna, quę cul„ pæ debebatur, dimissa manet. Hæc hæresis ante annos mille trecentos à Cypriano cõfutata est. Datur, inquit, opera, ne satisfactionibus & lamentationibus iustis delicta redimãtur, imminente Antichristo exarmatur fides militantis populi, dũ tollitur vigor & timor Christi. Vide Sanderum hîc in Secta 188. §. Post peccata.

Cyprianus lib 1. epistola 3.

IX.

SCIENTIA.

LVTHERVS non contentus omnia hominum opera damnare, & de peccato notare, voluit etiam scientias omnes speculatiuas errores esse dicẽdas. Contrà Alphonsus de Castro hoc loco hæres. vnica.

X.

SCRIPTVRA.

1. SIMON Magus, vt refert Epiphanius, dicebat, omnem credentem veteri Testaméto mortem subire. circa annum 50. Cõtrà Ioan. 5. Scrutamini scripturas &c. Hær. 21.

2. HINC Carpocrates totum vetus Testamentum reiecit. circa annum *120*. Contrà Alphonsus de Castro tit. de lege, hær. *2*.

3. CERINTHVS Matthæi Euangelium ex parte recepit, reliqua Euangelia, Acta Apostolorũ, & Epistolas Pauli reiecit. circa annum *70*. Contrà 2. Corinth. *8*. *1*. Petri *5*.

4. AQVILA (vt refert Epiphanius) ex Christiano Iudęus Proselytus, interpretatus est Scripturas, irruẽs in LXXII. interpretationẽ, vt testimonia de Christo in Scripturis prolata aliter ederet. circa annum *130*. Contrà Iustinus in admonitorio ad gentes. In libro de mensuris.

5. TATIANVS & Seuerus scripturarũ sensus pro suo arbitratu interpretantur, Euseb. li. 4. cap. 27.

Pauli Epiſtolis & Actis Apoſtolorum fidem abrogant. circa annum *165*. Contrà Irenæ. lib. 4. ca. 80.

De præſcription. 6. APPELLES, Marcionis diſcipulus, & ab eodem ſegregatus (authore Tertulliano) Legem & Prophetas repudiabat. circa annũ 170. Contrà Rhodon Aſiaticus apud Euſeb. lib. 5. ca. *13*.

Epiphan. hær. 51. 7. ALOGI, id eſt, Bruti (authore Epiphanio) non ſuſcipiunt æternum Dei Verbum, nec Ioannis Euangelium, aut Apocalypſin. circa annum *170*. Contrà Irenæ. lib. 4. cap. 37.

Euſeb. li. 5. cap. 72. 8. THEODOTI ſacras audacter deprauârunt ſcripturas, veteriſq; fidei canonem abrogârunt. circa annum *190*. Cõtrà Clemens in 7. Stromat.

9. HELCHESAITÆ Paulum Apoſtolum reiiciebant. circa annum *240*. Cõtrà Gaius in diſputat. aduerſ. Proclum. Euſeb. lib. 7. cap. *14*.

10. ORIGENISTÆ, aquas quæ ſupra cœlos ſunt, tunicas pelliceas, & alia multa in Scripturis ſanctis, non ſecundùm hiſtoriæ veritatem, ſed allegoricè acci-

accipi debere, somniabãt. circa annum 240. Cõtrà Tertull. de resurrect. carnis.

11. PAVLVS Samosatenus, Canone Ecclesiæ relicto, ad doctrinam adulterinam se transtulit; in Verbi Dei interpretes, qui è vita excessissent, palàm debacchatus fuit. circa annum *265*. Cõtrà Sander. in Sect. *53*.

12. CONSTANTIVS Imperator Synodum in Seleucia Isauriæ conuocans, præcepit; Vt Episcopi nihil prçter diuinas Scripturas Ecclesiasticæ fidei adderent, vnde Synodus ibi definiuit, in hæc verba: Coëssentialis vocem reiicimus, velut à Scripturis alienam. Fides etiam ab hæreticis Arrianis Arimini edita (vt est apud Athanasium) iubebat vocabulum Substantiæ de medio tolli, eò quòd sacræ Scripturæ nusquam meminissent Substantiæ Patris & Filij. circa annum 330. Nonne hoc ipsum, quod in Constantio & Arrianis tanquam impium omnes sancti Patres cõdemnârunt, hodie renouant Lutherani & Caluinistæ, ad solas scripturas, ad solas, inquam, nos reuo-

Epiphan. hær. 73.

In lib. de Synod. Arim. & Seleuciæ.

Lutherani & Caluinistæ Constantij & Arrianorum sectatores.

reuocantes? Cõtrà Hilar. in lib. aduerſ. Conſtant. Auguſtum. Epiphan. hęr. 71. Baſilius in lib. de Spiritu ſancto ca. 27.

13. INTER innominatas hęreſes Philaſtrius numerat & illas, quæ reprobârunt quaſdam Canonicas ſcripturas, vt Salomonis Eccleſiaſten, & Cãtica canticorum, in quibus putant Salomonem de amore concubinarum ſuarum egiſ-

Proteſtã-tes fidem abrogant ſcripturis Biblicis.

„ ſe. circa annum 355. Quam hæreſim
„ Lutherus ex parte, Caſtalion autem
„ ex toto videtur amplexus. Omnes ve-
„ rò Proteſtantes fidem abrogant libris
„ quibuſdam Canonicis, vt Machabæo-
„ rum &c. Contrà Sanderus hîc in Secta 96.

14. IDEM Phylaſtrius inter hæreticos cenſet eos, qui Aquilæ, Symmachi, Theodotionis, aut cuiuſcunque alterius translationem ſacrorum Codicum ex lingua Hebræa ei translationi præfert, quam LXXII. interpretes olim ediderunt; quam tamen Proteſtantes hodie contemnunt. Contrà Chryſoſt. homil. 5. in Matthæum. Auguſtinus de

Proteſtãtes contemnũt translationem vulgatam.

ciuitate

ciuitate Dei lib.18.cap.43. Concil. Trident. de Canone sacrę Script.

15. FAVSTVS Manichæus dicebat, vetus Testamentum reiicio, quia circumcisis & sacrificantibus, & alia iam antiquata obseruantibus, repromittit miseram & temporalem hæreditatem. circa annum 410. Contrà Augustin. aduersùs eundem lib.4.cap.2.

16. IDEM aiebat; Nihil est cur Prophetas accipere debeamus, nec em̃ de Christo prænunciârunt. Cõtrà August. lib.12.cap.2. Rom.1. & 3.

17. PRISCILLIANISTÆ corruptissimos Codices suos pro Canonicis vindicabant. circa annum 450. Cõtrà Leo in epist.91.cap.15. Vt etiã hodie faciunt Lutherani.

18. GNOSIOMACHI superuacaneũ dicunt eorum laborem, qui scientiam in diuinis scriptis exquirunt. circa annum 610. Nonne & hoc aliquando Protestantes opinabantur, quando abiectis libris cœperunt opificiis sese dedere? Contrà Concilium Toletanũ 4. can.24. Damascen. hær.88. Suprà de Bibliis.

19. PA-

19. PATERMENEVTÆ diuina ſcripta arbitratu ſuo interpretabantur. circa annum 672. Hoc etiam Proteſtãtes paſſim faciunt, nulla veterum Eccleſiæ Doctorum habita ratione. Contrà Iſidorus de Summo bono. lib. 1. ca. 19.

20. BOGOMILI ſeptem Scripturæ libros duntaxat ſuſcipiebant, reiicientes Moyſen. circa annum 1080. Contrà Paſchalis Papa in Lateranen. Concilio. Anno Domini 1112.

21. LVTHERVS non recipit libros Machabęorum: neq; Epiſtolã S. Iacobi. Contrà Concil. Lateranenſe tertium.

22. IN ſumma hoc tempore 14. veteris ac noui Teſtamenti libri à Proteſtãtibus in dubium vocãtur, de quibus vel ambigunt eſſe Canonicos, vel certè à Canone reiiciunt. Veteris quidẽ Teſtamenti 7. Baruch, Thobias, Iudith, Sapiẽtia, Eccleſiaſticus, duoq; Machabæorum. Noui autem Teſtamẽti, Epiſtola Pauli ad Hebræos, Epiſtola Iacobi, ſecunda Petri, duę poſteriores Ioannis, Epiſtola Iudæ, ac liber Apocalypſeos.

Con-

Contrà, hos omnes ſine dubio pro Canonicis habendos eſſe, ad amuſſim oſtẽdit atque declarat Melchior Canus in Opere ſuo de locis Theologicis lib. 2. cap. 5. 9. 10. & 11. Et Sixtus Senen. in Bibliotheca ſancta lib. 7. & 8. per totum.

XI.

SERPENS.

SOBOLES quædam Gnoſticorum ſunt Ophitæ, qui (vt eſt apud Tertullianum) magnificant ſerpentem velut authorem ſcientiæ boni & mali. circa annum 120. Contrà Irenæ. lib. 1. ca. 35. De præſcription.

XII.

SILENTIVM.

PATTALORINCHITÆ naribus & labiis ſuis digitum opponẽtes, nimium ſilentio ſtudebãt. circa annum 356. Cõtrà Baſilius in epiſto. 73. Hilar. contra Conſtantium vita defunctum. Auguſtin. hær. 63.

XIII.

SIMONIA.

FVIT quædam execranda hæreſis, qua creditum eſt, ſpiritualia Dei dona

poſſe

posse pecunia comparari. Cuius hęresis primus author fuit Simon Magus. circa annum 50. Posteà in eundem errorẽ lapsi sunt Græci, q. (teste Guidone Carmelita) dicunt, licere prælaturas Ecclesiasticas vendere, & sic ab eorum Patriarcha fieri asserit. Idquod etiam Armeni fecisse dicuntur. Contrà Actor. 8. Pecunia tua tecum sit in perditionem &c. Alphonsus hîc eodem titulo hæres. vnica.

XIIII.

SPES.

LVTHERVS docuit, Spem non procedere ex merito. Cõtrà Iob. 7. Matth. 10. & 20. Alphons. hîc hæres. vnica.

XV.

SPIRITVS SANCTVS.

1. MONTANISTÆ à Phrygia dicti Cataphryges, dicebant Spiritum sanctum in Apostolis fuisse, Paracletũ verò maiora & plura in Montano dixisse, quàm Christus in Euangelio protulit. circa annum 175. Contrà Tertullianus

de præscriptionibus Hæreticorum.

2. HIERARCHAS, Melchisedech putauit esse Spiritum sanctum. circa annum 270. Contrà Cyprianus libro 2. epistola 3.

3. ARRIANI dicebant, Spiritum sanctum esse creaturam creaturæ, hoc est, à Filio creatum. circa annum 315. Contrà Liberius Pontifex Romanus in confessione, quæ extat in Tom. 1. operum Athanasij. Augustin. hær. 49.

4. MESSALIANI & Euchytæ, seu Enthusiastæ, Spiritum sanctum sic dicebant accedere, vt sentiretur. circa annum 389. Contrà Gregor. Nyssenus in Apologetico.

5. DE Græcorum erroribus sic scribit Damascenus; Ex Filio Spiritum sanctum non dicimus, sed Spiritum Filij nominamus. Theophylactus in capit. tertium Ioannis: Latini malè exponẽtes, quid sit DEVM mittere Spiritum Filij sui, vel etiam nos habere Spiritũ CHRISTI, dicunt, quòd Spiritus etiam ex Filio procedat. Cæterùm esse

ex

ex Filio Spiritum nulla Scriptura testatur, vt ne duo principia Spiritus introducamus Patrem & Filium. circa annum 980. Contrà Basilius in fin. lib. 2. contra Eunomium. Epiphan. in Ancorato. Beda de elementis Philosophię lib. 1. Anselm. De processione Spiritus sancti.

6. LATINI (vt idem Theophylactus adiicit) dicunt Christum inspiràsse discipulis, & dixisse: Accipite Spiritum sanctum. At hæc quidem ridicula. Manifestum est enim, quòd tunc illis Spiritum sanctum non dederit. sed donum viuum Spiritus sancti, remissionem scilicet peccatorum. Contrà Rupertus in Ioan. ca. 2.

7. PETRVS Abailardus & Arnoldus Brixien. Spiritum sanctum minimè de Patris esse Filiíue substantia. circa annum 1140. Contrà B. Anselm. in Monolog. ca. 74.

XVI.
STVDIA GENERALIA.

VVic-

VVICLEFVS cùm plurimas in populo sparsisset hæreses, ne per literarum notitiam impiæ illius doctrinæ resisti posset à populo, omne literarũ studium ab eo auferre tentauit, dicens: Studia generalia esse vana gentilitate in Ecclesiam introducta, & tãtum prodesse Ecclesiæ, quãtum prodest diabolus. Contrà Alphonsus hîc eodem titulo hæres. vnica.

XVII.

SVBDITVS.

IOANNES VViclef cæteris erroribus etiam hunc adiecit, quo docuit: populares homines posse ad libitum suum Prælatos & Dominos delinquẽtes corrigere; & ita asserit populum iustè subtrahere decimas à Sacerdotibus, cùm eos peccatores esse cognouerit, & ab aliis Dominis subtrahere tributa propter illorũ peccata. circa annum 1394. Contrà Alphonsus de Castro hîc in hęres. vnica.

XVIII.

SVFFRAGIA DEFVNctorum.

Græci, Armeni, VValdenses, Albigenses, & post hos Lutherus, docuerũt: defunctis orationes, sacrificia, eleemosynas, quæ à viuis pro illis fiunt, nihil prodesse. Contrà idem Alphon. hîc eodem loco.

XIX.

SYMBOLVM APOstolorum.

1. VValdenses cõtemnunt Symbolum Apostolorum. circa annũ 1180. Contrà Guilhelmus Durand. li. 4. c. 25.

Vt refert Canisius in p̃fatione cõmentar. de Verbi Dei corruptel.

2. De Sarnicio quodam Lismanino, Georgio Nigro, & quibusdã aliis, Stancarus in lib. contra Pintzouianos testatur, quòd Symbolum Nicænum reiiciant prorsus, & quod Athanasij est, Sathanasij Symbolum haud sine graui cõtumelia dicant.

Canisius ibidem.


3. Libvit etiam nouis in Transyluania ministris, qui probè Seruetianum spiri-

ſpiritum imbiberunt, hoc palàm profiteri, quòd tria fidei noſtræ probatiſſima Symbola, vtpote Apoſtolicum, Nicænum, & Athanaſianum, non admittãt, niſi cum hac exceptione, quatenùs Verbo Dei conſentiant. Cõtrà Durandus ibidem.

CLASSIS HÆRESVM DECIMAQVARTA.

T.

TEMPLA.



EVSTACHIVS quidã, de quo in Concilio Gangrenſi fit mẽtio, dicebat, templa Dei nullius eſſe vtilitatis, neque aliquo pacto prodeſſe in Eccleſia Dei. Vnde Baſilicas Martyrum, & templa ſub nomine Diuorũ Deo dedicata cõtemnebat, & oẽs qui ad illa conueniebant ibidẽ aut ſacrificaturi, aut oraturi, Templa cõtempta.

 repre-

reprehendebat. circa annum 328. Contrà 1. Paralip. ca. 28. Esai. 55. Matth. 21.

Damascen. hær. 80. 2. MESSALIANI etiam & Euchytæ siue Enthusiastæ Ecclesias & Altaria despiciunt, eò quòd non deceat Monachos & Ecclesiasticos cœtus sacrificium celebrare. circa annum 389. Contrà Ambros. in epist. 33.

3. SVB Constantino Monomacho, Græci Constantinopolitani omnes Latinorum Ecclesias, quę penes ipsos erãt, Ecclesię occlusæ. clauserunt, & Monachis Monasteria abstulerunt, nisi Græcorum viuerent institutis. circa annum 940. Contrà Leo nonus Pontifex Romanus in epistola ad Episcopum Constantinopolitanum Michaëlem, & Achridanũ Bulgarorum Episcopum ca. 29.

4. PETROBRVSIANI & Heinriciani templa destruebant, nouasque Basilicarum ædificationes ridebant. circa annum 1140. Contrà Petrus Cluniacẽsis in lib. contra Heinricianos.

5. AL-

5. Albigenses ire ad Ecclesias, vel in eis orare, nihil dicunt prodesse. circa annum 1180. Contrà Gulielmus Durandus in rationali diuinor. officiorum lib. 5. cap. 2. Num. 58.

Id egregiè obseruant Lutherani.

6. Hunc autem errorem iamdiu sepultum, post multa secula suscitârunt VValdenses, qui, vt illustriores hęretici mundo appererent, Eustachij errorem multò fusiùs extenderunt, quoniam ille sola templa, quę in Diuorum nomine sunt consecrata irridebat; hi autem omni templo detraxerunt, dicētes templum Dei latè patentis ipsum mūdum esse, & coarctare maiestatem eius, qui Ecclesias, Monasteria, Oratoriaq; construunt, tanquam propitior in eis diuina Maiestas inueniatur. Hoc enim illis impingit Æneas Syluius in lib. de origine Bohæmorum.

Mundum ipsum esse templum Dei.

7. Post VValdēses fuerunt alij hæretici dicti Pseudoapostoli, qui adhuc maiori cum iniuria de templo Dei locuti sunt, dicentes: Ecclesiam conse-

Ecclesiam hæretici cōparant stabulo porcorum. cratam non plus valere ad orandum, quàm stabulum porcorū. Eundem errorē tutati sunt magis vi & armis, quàm Scripturę testimoniis, quidam Bohemi Thaboritæ. hæretici, Thaboritæ appellati. Contrà Alphons. de Castro lib. 14. sub titulo de templis. hær. vnica.

II.

TERRA.

FELIX quidam Manichæus, cum quo D. Augustinus publicè disputauit, docuit, terram esse Deo coëternā. circa annum 790. Contrà Alphons. hîc eod. titulo. hær. vnica.

III.

TIMOR DOMINI.

1. PETRVS Abailardus & Arnoldus Brixien. dicebant; Timorem Domini iustum in futuro seculo non futurum, circa annum 1140. Cōtrà Petrus Lombard. lib. 3. dist: 34.

2. LVTHERVS docuit, timorem Dei seruilem esse prorsus inutilem. Contrà Alphōs. de Castro hîc eod. loco hær. 1.

IIII.

IIII.

TRANSVBSTANTIATIO.

1. VVICLEFVS Transubstantionē, & realem Christi pręsentiam in Eucharistia condemnauit. Eandem hæresin Hieronymus Pragensis, & ipse ex parte VViclefista, iam moriens acerrimè defendit. circa annum 1414. Cōtrà, vt suprà de Eucharistia. Num. 24.

2. CVM sacrificij Missæ negationę etiam error ille necessariò coniunctus est, quo Lutherus negabat, in Eucharistia fieri vllam Transubstantiationem; sed panem & vinum volebat vnà cum carne & sanguine Domini adesse, velut Christus dixisset: Vnà cum hoc pane est corpus meum. Itaque hæc Lutheranorum interpretatio consistere nullo modo potest, quin verba Euangelij violet. Quibus semel inuersis, aut priuatorum opinione commutatis, nihil certi relinquitur, quod ex eodem Euāgelio constitui queat. Contrà Sanderus in Secta 201. circa finem.

V.

TRINITAS.

1. SIMON Magus dixit, se esse eum, qui sit super omnia, & in Samariam descendisse quasi Patrem; inter Iudæos quasi Filium apparuisse; in reliquis gẽtibus quasi Spiritum sanctum aduentasse. circa annum 50. Contrà Matth. 23. & Ioan. *5.* Matth. *24.* Luc. *2.*

Hieron. ad Marcellam.

2. MONTANISTÆ Trinitatem in vnius personæ angustias cogebant. circa annum *175.* Contrà Tertullian. aduers. Praxeam & in lib. de Trinitate.

Epiphan. in epist. ad Ioan. Hierosolymitan. Augustin. hær. 43.

3. ORIGENES dicebat, non posse Filium videre Patrem, neque Spiritum sanctum videre Filium; Imò, vt ait Augustinus, Filium Patri collatũ esse mendacium, nec orandum vnà cum Patre, sed Filium & Spiritum sanctum esse creaturas. Ob quos errores Arrianorum pater meritò habitus est. circa annum *240.* Contra Calixt. in epistola 2. Fabianus in epistola *1.* & Fœlix Episcopus Roman. in epistola *3.* Et pro Origene

Origenes Arrianorũ pater.

ne Apologiam fecit Eusebius Pamphili, ex qua apparet, illum in hoc errore non perseuerâsse.

4. SABELLIVS Afer, Pentapolitanus (Noëtij sectator, & tam Hermogenis quàm Praxeæ in hæresi successor) dicebat, eũdem esse Patrem, & Filium, atque (vt ex Epiphanio & Augustino constat) etiam Spiritum sanctum: vt sint in vna Substantia tres nomenclaturæ. Hinc factum est, vt Sabelliani humanam Filij naturam Patri etiam imputarent, velut Pater natus & passus sit pro nobis: ex quo iidem dicti sunt Patripassiani. Calistus eandem hæresim sectatus est, authore Theodoreto. circa annum 260. Contrà Cyprian. in epistola ad Iulian. Dionysius Alexandrinus hæresim Sabellij confutauit, vt apparet ex Eusebio lib. 7. cap. 5. itemque ex Athanasio in lib. quem scripsit de sententia eiusdem Dionysij.

Hilar. li. 4. de Trinitate.

Patripassiani.

Lib 3. hæret. fabul. cap. 7.

5. DONATISTÆ minorem Patre Filium, & minorem Filio Spiritum sanctum

ctum putabant. circa annum 400. Contrà Episcopi Illyrici Ecclesiis Dei, apud Theodoret. lib. 8. cap. 8.

6. FAVSTVS Manichæus libro 20. capit. 2. Vnum, inquit, sub triplici appellatione numē colimus: Sed Patrem credimus lucem incolere summam & inaccessibilē. circa annum 410. Contrà Augustinus aduersùs eundem ibid.

7. ITEM, Filius in hac secunda luce consistit, cuius virtus in Sole, sapientia in Luna habitat; Sedē Spiritus sancti omnem hunc aëris ambitū fatemur. Contrà Augustinus ibid.

Suprà de CHRISTO Num. 41.

8. THEODORVS Mopsuesthenus Nestorianus dum impiè negat, Deum (hoc est, Dei filium) de Virgine natum esse, nec tamen negaret aut Filium Dei esse consubstantialem Patri, aut verum hominem assumpsisse ex Virgine; Quaternitatē pro Trinitate impiè dogmatizauit, vt & cæteri Nestoriani, & Anastasius Imperator, qui posteà eandem hæresim propagâsse traditur: dum enim

To. 2. Concil in Synodo 5. & apud Ioan. Maxentium in Cathol. fidei Cōfess. & in Dialog. contra Nestor.

enim vni Christo duę personę tribuuntur, fit quaternitas. Contrà Proclus Cóstantinopolitanus Episcopus (Armeniis id ab eo petentibus) Theodori blasphemias confutauit.

9. PRISCILLIANISTÆ vnà cum Sabellio, Patris, & Filij, & Spiritus sancti vnam asserunt esse personam sub tribus vocabulis. circa annum 450. Contrà Leo in epistola 91. capit. 1. ad Turibium. Leo epistola 91.

10. PETRVS Cnapheus, (id est, fullo) Pseudoepiscopus Antiochenus, præter Eustachianā hæresim, illud nouo more in Ecclesiam introduxit, vt in trisagio (Sanctus Deus, Sāctus fortis, Sanctus & immortalis) adderetur: Qui crucifixus est pro nobis. Vnde hæresis Theopaschitarum orta est. circa annū 530. Contrà Felix Episcopus Roman. in epist. ad Petrum Cnapheum. Niceph. in lib. 15. capit. 28.

11. BOGOMILVS Trinitatē negauit, vt est apud Euthymium. circa annū 1080. Contrà Theophylact. in Matth. ca. 28. Panoplia parte 2. capit. 23.

12. PE-

12. PETRVS Abailardus & Arnold. Brixien. conſtituebant Deum Patrem plenam eſſe potentiam tam in gerendo, quàm diſcernendo: Filium quandam potentiam in diſcernendo per ſapientiam: Spiritum ſanctum nullum eſſe potentiam, ſed benignitatem. circa annum *11*40. Contrà Bernhardus in epiſtola *190*.

Bernhard. in epiſt. 190

13. IOACHIMVS Abbas, Petrum Lombardum iniuſtè reprehendens, dicebat: quòd Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus ſunt vna eſſentia: verùm vnitatem eiuſmodi non propriam & veram, ſed quaſi collectitiam, & quaſi ſimilitudinariam eſſe, vt multi fideles ſunt Eccleſia. circa annum *12*00. Contrà Concil. Lateranen. ſub Innocent. III. can. *2*.

14. RAYMVNDVS Lullius oppugnauit ſanctæ Trinitatis vnicam eſſentiam, & perſonarum æqualitatem. circa annum 1260. Contrà Thomas in Secunda Secundæ q. 90. Artic. *2*.

15. SA-

15. SAMOSATENICI hoc tempore negant apud Ioannem hanc vocem ὁ λόγος secundam personam Trinitatis significare. Contrà Sanderus in Secta *223*.

16. MICHAEL Seruetus natione Hispanus, religione ab initio Zuinglianus, vtpote Farelli & Caluini collega, cùm in Africam traiiciens Alcoranum didicisset, doctrinam Ecclesiæ in Mahometismum transformans, dicebat, Deum esse vnicã personam; Christum verò negabat duas habere naturas. Quẽ Caluinus igni tradendum curauit. Cõtrà in Deo tres personas, in Christo duas esse naturas demonstrat Sanderus in Secta *227*.

16. IDEM impurissimus homo, & blasphemiæ spiritu plenus, inquã, Seruetus, Trinitatem illam Dei coæternam, quam sublimes in cœlo Spiritus Seraphin ter adorandam esse noctes ac dies profitentur; triceps monstrum, ac Cerberum quendam tripartitum,

Petrus Canis. in præfat. de corruptelis, ex episto. Tigur. Past. ad Geneuen. Senat. Anno 53.

tum, ſed & diabolicum fantaſma, & illuſionem Satanæ, & Deos imaginarios, & tres dęmoniorum ſpiritus, & Geryonis mõſtrum audet appellare. circa annum 1553. Contrà Eſai. 6.

VI.

THVRIFICATIO.

ALMARICVS thurificationẽ, qua in Eccleſiis vtimur, Idololatriã vocabat. circa annum *1204.* Contrà Gulielmus Durandus in Rationali diuinor. offic. lib. *4.* cap. *10.* Innocent. de Altaris myſterio lib. *2.* cap. *16.*

VII.

TYRANNVS.

IOANNES de Gerſon, in commentariis ad illud præceptum Dei; Non occides: refert, quendam Ioannem Paruum aſſeruiſſe, quòd honorabile, meritorium & licitum ſit vnicuiq; ſubdito, abſq; quocunq; pręcepto vel mandato, ſecundùm leges, naturalem, moralem, & diuinã occidere, vel occidere facere quem-

Ioannes Paruus.

quemlibet Tyrannum qui machinatur cõtra ſalutem naturalem ſui Regis, aut ſuperioris, non obſtante præſtito iuramento, ſeu confœderatione facta cum eo. circa annũ *1430*. Contrà Ioannes de Gerſon, vt ſuprà. Vide ſuprà in tit. Occidere.

CLASSIS HÆRESVM DECIMAQVINTA.

V.

VBIQVITAS.

BRENTIVS (alioqui Lutheranus) cum Trãſubſtantiationis doctrinam ferre non poſſet, & tamẽ veram corporis Chriſti pręſentiam in Euchariſtia conſtitueret; modum præſentiæ talem inuenit, vt diceret, corpus Chriſti poſt aſcenſionem in cœlũ, vbiq; eſſe, atque illo modo in pane mãducari, dum panis editur,

Suprà de Euchariſtia Num. 30.

editur, quo accepto, Christus dixerit: Edite, hoc est corpus meum. Quorum verborum putat hanc esse interpretationem: Edite hoc, quod in pane est, illud enim est corpus meum. Isti ergo vt Transubstantiationē tollerent, ad opinionem monstrosam confugere coacti

Schmidelinus Vbiquitarius. » sunt. Eundem errorem etiam hodie in- » eptè tueri conatur Schmidelinus. Con- » trà Ioannes Hessels Louaniens. in libro » de probatione corporalis p̄sentiæ cor- » poris & sanguinis Dominici.

II.

VERBVM DEI.

Hæres. 51. *1.* ALOGI, id est, Bruti, authore Epiphanio, non suscipiunt æternum Dei Verbum, nec Ioannis Euangelium, aut Apocalypsin. circa annum *170*. Contrà Irenæus lib. 4. capit. 37. Suprà de sacra Scriptura.

Suprà de sacr. Script. Num. 7.

2. BOGOMILI aiunt, suos omnes concipere Verbum Dei, gestare in vtero, & parere non secùs, quàm Dei Genetricem

nitricem. circa annum 1000. Contrà Euthym.parte 2.ca.22.

III.

VERECVNDIA.

De nulla re, q̃ nobis à natura est donata, erubescendum esse voluerũt Turelupini, qui ob hanc sententiam, more Cynicorum Philosophorũ, omnia verenda publicitùs nudata gestabant, & in publico velut iumenta coibant. Et certè hanc hæresim natura ipsa redarguit, à qua insitam habemus quandam rerum verecũdiam. Alphons. de Castro li. 14. hîc eodem tit. hær. vnica.

IIII.

VERITAS.

Valentiniani sectatores (vt est apud Tertullianum) erant Ptolomæus secundus, Heracleon, Marcus & Colarbasus, quorum duo posteriores negant, veritatem sine Grecorum Alphabeto inueniri, & ideò Christum dixisse aiũt: Ego sum α & ω. circa annum 154. Contra Iustin. in Apolog. 2. Tertullian. de præscrip.

V.

VESTITVS SIVE HABITVS.

1. EVSTACHIVS ſuos peregrino veſtitus genere vti voluit, velut in hoc iuſtitia quædam eſſet, adeò vt mulieres virili veſte vterentur. circa annũ 328. Lutherani & Caluiniſtæ calumniam in eô nobis faciunt, quòd dicunt, nos in veſte iuſtitiam conſtituere, quod nos non facimus. Contrà Concil. Gangren. ca. 12. & 13. Cuculli autem fit mẽtio apud Sozomen. lib. 3. cap. 13.

Calumnia Lutheranorum & Caluiniſtarum in Catholicos.

2. PELAGIANI & Celeſtiani (vt eſt apud Hieron.) dicebãt, gloriã veſtium & ornamentorũ Deo eſſe contrariã. circa annum 415. Hoc ferè opinãtur Caluiniſtę, & p̃ſertim Puritani, hoc eſt, ij Caluiniſtę, q̃ cęteris puriores in Anglia videri cũ velint, pro ingenti piaculo habent, vt in adminiſtratione vllius Sacramẽti veſte candida miniſter Dei vtatur. Cõtrà Hieron. lib. 1. aduerſ. Pelagian.

In libro aduerſ. Pelagian.

VI.

VIGILIAE.

VIGILANTIVS Vigilias volebat eſſe non frequentes, verũ proprias Feſti Paſchatis.

ſchatis.circa annũ 410. Noſtri Proteſtã- „
tes nec in Paſchate Vigilias approbant. „
Contrà Hieron.aduerſ. Vigilantium.

VII.

VINVM.

1. SEVERVS, à quo Seueriani hæretici originem duxerunt, docuit, non licere vllo pacto bibere vinum, eò quòd fabuloſa quadam vanitate, vt Auguſtinus ait, dicebat de Satana & terra germinâſſe vitem. circa annum 170. Hieron.verò hunc errorem aſſcribit Tatiano. circa annum 165. Contrà Eccleſ.31. Ioan.2. Matth.26. Luc.22. 1.Timot.5. Alphonſ. hîc hær. vnica. Hieron. in comment. ſuprà Amos 2.

2. ARMENI vinũ aqua non miſcent; Et hoc etiam Proteſtantes obſeruant, cõtra omnem Eccleſiæ totius morem. circa annum 603. Contrà Concil. Aurelianen.IIII.ca.4. Nicephor. li.18.ca.53.

VIII.

VIRGINITAS.

1. IOVINIANVS Virginitatem Sanctimonialium, & continentiam ſexus virilis, in Sanctis eligentibus cœlibem vi- Auguſtin. hær. 82.

tam, coniugiorum castorum atq; fidelium meritis adæquabat, Hoc idem hodie Lutherani & Caluinistæ docent. Contrà Ambros. epist. 81. Nazianzenus in carmine Virginitatis.

Lutherani & Caluinistæ Iouiniani Sectatores.

2. QVÆDAM Virgines sacræ prouectæ iam ætatis in vrbe Romana, vbi Iouinianus hæc docebat, eo audito nupsisse dicuntur. Eodem tempore. Hoc idē & fecit, & faciēdum docuit Lutherus, atq; illius Sectatores. Contrà Epiphanius hær. 61. & Augustin. hær. 82.

3. DONATISTÆ denuò nudârūt capita Virginum velata, vt priorem professionem ita irritam facerent. circa annum 400. Lutherani & Caluinistę nullam omninò virginitatis professionem tolerant, in eo Donatistis lōgè peiores. Contrà Optatus lib. 6.

Optat. li. 2.

Lutherani & Caluinistæ professionem Virginitatis reiiciunt.

IX.

VNCTIO SACRA.

1. DONATISTÆ raserunt capita Sacerdotum, vt sacram Vnctionem auferrent. circa annum 400. Porrò Lutherani & Caluinistę negant vngi debere Sacerdo-

Optat. li. 2.

Negant Sacerdotes vngi debere.

cerdotes, in eo peiores Donatistis. Cō- »
trà Optatus lib. 2.

2. GRÆCI (teste Guidone Carmelita) asserunt, Sacramētum extremæ Vnctionis nō prodesse infirmis ad salutem corporis. circa annum 1000. Contrà Iacob. 5. Alphons. hîc hæres. vnica.

3. ALBIGENSES dicebant, extremę Vnctionis Sacramētum nihil esse. circa annum 1200. Contrà Innocent. III. extrà de sacra Vnctione. 1. Ioan. 2.

4. FLAGELLANTES etiam nullum dicebant esse extremæ Vnctionis Sacramentum. circa annum 1350. Contrà Durand. 4. dist. 23. q. 1.

Contemptores extremę Vnctionis.

X.

VNIVERSITAS.

VVICLEFI Articulus 26. Vniuersitas, Studia, Collegia, Graduationes, & Magisteria in iisdem, sunt vana gentilitate introducta, & tantum prosunt Ecclesiæ, sicut Diabolus. circa annū 1394. Videtur hîc Articulus à Protestantibus probari, licet aliquādo Melanchthon, & hoc idem sentiētes abiecerūt libros.

Suprà de studiis generalibus.

Contrà Gerson in Orat. facta de licentiandis, in decretis considerat. *14*. & *15*.

XI.

VOTA.

1. VIGILANTIVS dicebat, eos meliùs facere, qui vtũtur rebus suis, & paulatim earum fructus pauperibus diuidunt, quàm eos, qui possessionibus venundatis, semel omnia largiuntur. circa annum 410. Hoc idem hodie Protestantes dicunt, ac docent. Contrà Hieron. aduersùs Vigilantium.

2. DETERREBAT Monachos à suo studio, dicens: Si omnes se clauserint, & fuerint in solitudine: qs celebrabit Ecclesias, quis seculares homines lucrifaciet? Eod. tempore. Hodie Protestãtes, nullum se omninò claudere in monasterio, aut in solitudinem religiosiùs colendi Deum causa, fugere volunt. Contrà Hieron. ibidem.

3. LAMPETIANI omnia vota damnabant, dicẽtes, ea nihil prodesse, eò quòd coactionem & necessitatem quandam videantur hominibus inferre. circa an-

num

num 680. Contrà Num 30. Deuter. 23. Eccles. 5. Rom. 6.

4. PSEVDOAPOSTOLICI circumducebant secum fœminas; cùm tam viri quàm fœminæ continentiam vouissent. circa annum 1150. Contrà Bernhard. in Cant. sermo. 66.

XII.

VSIA.

VALENS, Mursiensis Episcopus, hęresi Arriana infectus, tamen Arrianum se negauit, vt eò faciliùs Patres Arimini congregatos deciperet. Quibus persuasit, vt à voce VSIÆ, hoc est, substantiæ, abstinerent: tum quòd scripta nõ esset, tũ quòd multos offenderet, atq; Ecclesiæ concordiam impediret. Patres arbitrati, nõ vocabulum, sed rem ipsam curę sibi esse debere, voléti assenserunt, præsertim cùm audirent ipsum anathema denunciantem iis, qui tempus aliquod extitisse dicerent, quando non erat Filius. circa annum 360. Cùm autem non consentiant, qui errant, (Nihil enim, vt aiunt Iurisconsulti, tam est contrarium

Hæc diffusiùs narrantur apud Hieron. in Dialog cõtra Luciferian.

consensui, quàm error) manifestum est Patres Arimini congregatos in hæresim aliquam non consensisse, licet ab Hæreticis (id quod humanum est) decepti fuerint. Contrà hunc errorem multas adducit authoritates Sanderus in Secta 77.

XIII.

VSVRAE.

ALBIGENSES dicunt, vsuras non esse prohibitas. circa annum *1200*. Contrà Concilium Lateranen. sub Alexandro III. parte 1. ca. 25.

FINIS.



Typis hoc Hæreticarum fabularum Compendium rectè vtiliterq; mandari existimo ego ALBERTVS HVNGERVS *S. Theol. D. Professor & Procancellarius in Academia Ingolstadiana.*



ELENCHVS OMNIVM HÆRESVM, DE QVIBVS IN HOC LIBRO, IVXTA ORDINEM ALPHABETICVM, tractatur.

Classis prima.

A.

Classis II.

B.

Classis III.

C.

Clafsis IIII.

D.

Clafsis V.

E.

Clafsis VI.

F. G. H.

Clasſis VII.

I.

Clasſis VIII.

L.

Clasſis IX.

M. N.

Matri-

Classis X.

O.

Classis XI.

P.

Potestas

Classis XII.

Q. R.

Classis XIII.

S.

Classis XIIII.

T.

Classis XV.

V.

